DE

COMMVNIONE QVOTIDIANA,

EIVSQVE DIGNA DISPOSITIONE.

AVTHORE

LEONARDO LOREDANO
CLERICORVM REGVLARIVM
MINORVM.

ROMAE, Typis Angeli Bernabò. M.DC.LXXIX.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI

ALDERANO

CARDINALI CYBO

A negotijs Vrbis, & Orbis pro Sanctissimo Patre, & Vigilantissimo Pastore INNOCENTIO Papa Vndecimo.

LEONARDVS LOREDANVS C.R.M.

TRIBVTA à subditis, & à seruis amoris, atque honoris signa erga Dominos deberi, non solum lex Diuina per Apostolum in sacris Codicibus; sed etiam humana per naturæ lumen in humanis cordibus descripsit. Et, si omni tempore, tum Eminentissimæ magnitudini tuæ, tum celsitudini familiæ tuæ tota familia, & singuli nostræ Religionis Clericorum Regularium Minorum Religiosi viri, ob singula- Ad Rom. cap.13.n.7.

gularem, & indefessam erga omnes; & singulos beneuolentiam, & magnifica beneficia semper præstita obstricti, & subiectionem, & seruitutem professi sumus; nunc maximè nobis conuenit ea tibi contestari, quando, & alijs competit, qui in tali conditione non erant.

Et, si debitum hoc nobis omnibus incumbit, mihi quidem permaximè, cui dum Religionis regimini, licet viribus impar, ac meritis præfui; adfuit semper in maioris ponderis necessitatibus benignitas tua, & brachium tuum opportunè auxiliatum est mihi.

Ideo sicut benignitatis, & magnitudinis tuæ fuit toti Religioni, ac mihi beneficia conferre, ita totius Religionis semper, & nunc præcipuè meum erit, esse memorem, & eo modo, quo opportunitas tribuit, & vires suppetunt, beneficia tua, benignitatemque prædicare, ac vices rependere.

Dum igitur, quæ tributa, quæue amoris, ac reuerentiæ signa præstarem Religiosus in paupertate viuens, & inter claustra degens mente reuoluerem, forte contigit, me inuitatum, & vt ita loquar stimulatum, ac penè coactum esse, ad hoc opusculum scribendum

de

de hac tam sancta sacræ communionis materia, eiusque digna dispositione, ne ab aliquibus, vel ex inconsideratione, vel nimia facilitate minus dignè, hoc tam sanctum ministerium, tamquam diuinum opus exerceretur.

Nactus occasionem istam, existimaui diuina prouidentia mihi tributã, ad tributum præstandum,& amoris,ac reuerentiæ signa,si nõ eo modo quo debeo,eo saltem quo valeo ostendenda. Verum sicut primò mente perplexus eram circa debitũ persoluendum,ita postea animo fluctuabam, ne Eminentiam tuam,tot,tantisq;negotijs Vrbis, totiusque Orbis grauatam, adhuc huius libelli lectione grauarem; sed tandem vicit obligatio mea, maximè cum me non lateat, æquam esse benignitati sufficientiam tuam, qui sicuti eminens es in gradu, ita in animi magnitudine, ingenio, viribus, virtutibus, ac in omnibus: qua ratione Sanctissimus, ac Vigilantissimus Pastor, & Pater omnium INNOCENTIVS XI. sapientissimè te delegit inter tot Purpuratos, vt sibi à negotijs totius Regni, ac Regiminis esses.

Hæc igitur mihi veluti imperarunt, vt quidquid à me esset, quamuis satis paruum, humi-

le, ac tenue, tibi darem, dicarem, addicerem; vt ita in protestatione subiectionis, & seruitutis tributum hoc, forma quidem exiguum; & amoris, ac reuerentiæ signum, figura certè tenue soluerem, est tamen in voluntatis meæ virtute satis magnũ, æmulans sinapis granum, dum vt illud gestit crescere in arborem. Sed qualecumque erit à benignitate tua non contemnetur, & à magnitudine tua extolletur, & magnum efficietur, sicut te magnum Deus fecit, & conseruabit, vt diu communi Parenti leuamini, ac solatio, & Vrbi, totique Orbi auxilio, & adiutorio sis.

AD

AD LECTOREM.

PLures scripsere de quotidiana communione, qui sua doctrina non solum incitant, sed etiam accnedunt animos piorum ad quotidie Christi corpus recipiendum: optima sane, & religiosa suasio; sed quia nihil tam sancte dicitur, aut docetur, quin possit minus sanctè addisci, & sæpe ab aliquibus, vel ex inordinata affectione, vel ex communis astutia inimici, àliaue ex causa malè exerceri: ideo non parum fortasse iuuabit, si aliqua aduertent directores animarum in permittenda, aut docenda, siue præcipienda communionis frequentia, quæ quamuis in se sancta sit, non tamen omnibus æque; atque ita pietati prudentiam coniungendo, non indiscriminatim, & sine delectu eam permittant, doceant, siue prçcipiant.

Et quia opella hæc magis ad dirigentes, quam ad personas directas spectabit, hac de causa non vernaculo sermone, sed latino tradendam putaui, vt ita innotescat doctrina quibus est necessaria, & in personis indoctis desiderium accedendi ad sacram communionem non tepescat, in quo à prudenti directore regulari debent.

Et vt hoc quilibet rector possit rectius exercere, enixè rogo, vt non solum attentè, sed pia etiam affectione hanc excurrat opellam, sicut pio affectu omnibus ab authore di-

recto-

rectoribus exhibetur, ut in tam digno, & sancto ministerio prudenter, ac sanctè se gerant, & animæ illis credita, tum quo ad frequentiam, tum quo ad modum, ita ad sacrum mysterium accedant, ut in spirituali animæ vita sic in præsenti seculo crescant, ut in futuro magna cum gloria ad æternam feliciter perueniant beatitudinem, cuius in hoc sacramento omnibus pignus datur.

LV-

LVDOVICVS VASQVEZ

CLERICORVM REGVL. MINORVM

PRAEPOSITVS GENERALIS.

TEnore præsentiū impertimur P. Leonardo Loredano nostræ Religionis Sacerdoti Theologo, & Lectori Iubilato, ac nostræ Romanæ Prouinciæ Prouinciali, vt Typis mandare possit librum, cuius Titulus est; *De Communione quotidiana, eiusque digna dispositione* ab eodem latino sermone compositum, visa attestatione P.P. Francisci de Aijala, & Francisci Arias Theologiæ Lectorum, & nostræ Consultationis Generalis Assistentium, qui ex nostra commissione illum examinarunt, & in lucem edi posse probaueruut, accedente licentia eorum, ad quos spectat. Cuius rei gratia has litteras dedimus manu nostra subscriptas, solitoque Sigillo nostro munitas. Romæ in Aedibus nostris S. Laurentij in Lucina hac die 31. Martij 1677.

Ludouicus Vasquez Generalis
Cler. Regul. Min.

Ego

EGo infrascriptus, cum de mandato Reuerendiss. P. Magistri Raymundi Capisucci Magistri S. P. A. opusculum de Communione Quotidiana Reuerendiss. P. Leonardi Loredani Ordinis Clericorum Regul. Minorum Exgeneralis, & ad præsens Prouincialis recognouerim; Iudico illud publica luce dignum, & fouendæ fidelium pietati proficuum: vtpote, quod catholicam, sanam, & veram doctrinam tuetur, & continet, è germanis S. Theologiæ fontibus erutam; veramque Sanctorum prudentiam, quæ in Venerabilis Eucharistiæ vsu, & frequentia simul, & summæ eius, qui sumitur, Maiestati, & eius, qui recipit, vtilitati consulit. In cuius Iudicij mei fidem præsens testimonium dedi. Romæ in Collegio Siculo S. Pauli de Arenula Tertij Ordinis S. Francisci, die 23. Aprilis 1677.

Antonius Cotonius T. O. S. F.

IN-

INDEX CAPITVM.

CAput Primum. *De Sanctissimæ Communionis frequentia.* pag. 1.
Cap. 2. *An licitum, & conueniens sit omnibus quotidie recipere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.* pag. 11.
Cap. 3. *Quid senserint Sancti, & Doctores de quotidiana Sacramenti Eucharistiæ sumptione. pag.* 39.
Cap. 4. *Declaratur ampliùs sententia Sanctij, & Discipulorum eius, solutione aliquarum difficultatum eorumdem. pag.* 83.
Cap. 5. *Quid senserint Concilia, & nonnulli Doctores de quotidiana Sacramenti Eucharistiæ sumptione:* pag. 132.
Cap. 6. *Proponuntur, & soluuntur aliqua argumenta Patris Velasquez, Pinti, & aliorum Sanctij discipulorum contra nostram doctrinam. pag.* 148.
Cap. 7. *Proponuntur alia contrariorum argumenta, & soluuntur. pag.* 168.
Cap. 8. *Inconuenientia, & mala, quæ in praxi solent oriri ex doctrina Sanctij, & sequacium de quotidiana Communione. pag.* 229.

Cap. 9.

Cap. 9. *Vtrum sufficiens dispositio sit sola carentia culpę mortalis, ad Eucharistiæ Sacramentum cum vtilitate, & fructu animæ recipiendum? pag.* 266.

Cap. 10. *Vtrum dari possit Sacramentum Eucharistiæ validum, & informe. pag.* 284.

Cap. 11. *In quo fit satis aliquibus difficultatibus, quas adhuc contrarij obijciunt in nostram iam traditam doctrinam. pag.* 312.

Cap. 12. *De dispositione ad dignè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipiendum. pag.* 331.

Cap. 13. *Quibus frequenter communio, aut etiam quotidie concedenda sit. pag.* 348.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Mag.

CAPVT PRIMVM.

De Sanctissimæ Communionis frequentia.

DAMNARE absolutè communionis frequentiam non solum indecens appareret, & inordinatum, sed idem esset, ac damnare non paucorum authoritatem Doctorum, Sacrosanctas Ecclesiæ determinationes, piarum plurium animarum praxim, & antiquorum sanctissimam Christianorum consuetudinem.

Sed etiam absolutè affirmare non solum frequentem, sed quotidianam quoque communionem omnibus licitam, & conuenientem esse, cuiuscumque sint status, gradus, & exercitij, non alia requisita conditione, nisi solius culpæ lethalis carentia, est dictum meo videri satis liberum, vtpotè omnium ferè authorum doctrinæ difforme, qui de Eucharistiæ Sacramento, & sacra communione scripserunt, nec doctrinæ Sanctæ Ecclesiæ est conforme, vt infra patebit, præbetque ansam multis indoctis, mulierculis præsertim, vt ad hoc Sacrum conuiuium sæpè appareant veste nuptiali indecenter aptata impolita, & decolorata, vt inquit de Lugo, non à solari tribulationum, ac per- Disp. 14. de Eucharist. sect. 2. n. 31.

Cant. c.1. ſecutionum calore pro Chriſto, qui corpus decolarat, non animam, quam potiùs (vt in Sponſa) pulchriorem ſuo Sponſo reddit, ſed paſſionum atque affectionum inordinatarum, qui aliquando ita excreſcere ſolet, vt totaliter nuptialis veſtis ſplendidum colorem mutet in nigrum, & obſcuretur aurum eius, vt deplorat Ieremias, mutetque ſuum colorem optimum, ac lumen quod in iſtis eſt tenebræ ſint, ſicque mereantur cum infelici illo euangelico de conuiuio in tenebras proijci exteriores. Thren.c.4 Matt. c.6. Matt.c.22

Ad noſtrum intentum optimè D.Bonauentura inquit. Caue ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, (nimirum ad ſacram Euchariſtiam) & inconſideratus, quia indignè ſumis, ſi non accedis reuerenter, circumſpectè, & conſideratè; ideo per Apoſtolum inter vos multi imbecilles, ideſt per fidei inconſtantiam; & infirmi, ideſt graui peccato ſauciati; & dormiunt multi, ideſt, per torporem, & deſidiam] igitur ex Bonauentura, qui ſine deuotione, ſed cum inordinatis paſſionibus accedit, meretur iuſto Dei iudicio in pœnam ſuæ irreuerentiæ, ac temeritatis, vt ipſum Dominus in fidei vacillationem, aut in graue aliud peccatum cadere permittat, ſicque, vt dicebamus, nuptialis eius veſtis ſplendor mutetur in tenebras, atque illud Apocalypſis verificetur. Quia tepidus fuit, Deus incepit, & compleuit illum euomere de ore ſuo.] Opuſc.to. 1. de præparat. ad Miſs. c.5. Apoc.c.3.

Quem latet inſitum omnibus hominibus illud

eſſe

esse serpentis; Eritis sicut Dij]. Hinc appetere aliquid esse, aliquid videri, & ab hominibus æstimari, & nisi firma humilitatis virtus cor hominis in Dei timore, & subiectione firmet, Deitatis cupido superuolare faciet. Gen.c.3.

Inde contingit, quod nonnulli, quibus non literarum, non armorum, non dignitatum prærogatiua existimationem conciliat, etsi nec eam per aliam corporis, vel animæ præcipuam dotem acquirunt, sæpè ex inimici hominis astutia per sanctimoniam inquirant, quia dum contemptum honoris per exercitium huius Sacramenti iuxta hanc aliquorum authorum doctrinam, student seminare in agro animæ suæ, non bene ab appetitu honoris purgato; si negligentes deinde, ac dormitantes hunc agrum non fodiunt, nec custodiunt, volucres cœli comedunt semen bonum, & prauum proijcit inimicus homo, superseminando zizania, quæ dum Matt.c.13. paulatim crescunt, suffocant, quod de patris familias superest bono semine, & agrum obtinet herba humanæ laudis, quæ in medio tritici huius Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti ortum habet, & incrementum.

Ex negligentia hominum prouenit, inquit Serm. 179. de temp. Augustinus, quod Diabolus tantum præualet; hinc est, quod sæpissimè ex bono malum ipse deducit, & inter res sanctas res prauas inducit, & ducit homines inde in perditionem, vnde vires assu-

mere validas, ad viriliter contra Diabolum pugnandum, & expugnandum, debuissent. Si homines desidiam, & negligentiam, dum sacra operantur, abijcerent; si non tepidè, & inordinatè ad sacram mensam accederent; si non cum sola culpæ carentia coelestem panem comederent; sed potiùs diligentes, solliciti, ac reuerentes hęc omnia exercerent; si solertes super agrum animæ suæ vigilarent, & virtutum actibus excolerent, non zizania superbiæ apparerent, quæ separant à Deo, & viam parant ad foueam; non herba vani honoris excresceret, quæ marcescit, & super terram velut vmbra euanescit; sed ignis charitatis exurgeret, & virtus humilitatis oriretur, quæ in Coelum extollerent, Deoque homines coniungerent, perfectosque redderent.

Existimare, posse ad culmen sanctitatis pertingere, posse vitæ perfectionem acquirere per exercitium sacræ communionis, sine labore magnæ præparationis, sed eo commodo, & facili modo, vt aliqui docent; idest cum sola culpæ grauis carentia; est inutilis existimatio, & vana præsumptio, vt infra patebit, quia sanctimonia, & vitæ perfectio res maxima est, & quæ maximum requirit laborem, maximam fortitudinem; estque, eam qui sectatur, fortior vrbium expugnatore, cum quotidie non solum, sed singulis etiam momentis decertare necessè habeat: neque hoc esset multum, quan-

quando certamen istud cum externis solum inimicis ineundum esset, sed (quod molestissimum est) cum internis, ac domesticis, cum passionibus nempè proprijs, cum carne sua contendere, ac pugnare semper oporteat. Hinc illud Apostoli; Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem] & illud Christi. Oportet nos odisse in hoc mundo animam nostram, carnem nimirum, vt exponit Augustinus: & hoc valde laboriosum est, inquit Gregorius, quia hoc est homini abnegare quod est.] Ad Galat. c. 5. Ioan. c. 12. Matt. c. 16. Tract. 5. in Ioan. Homil. 32. in Euang.

Quot igitur inuenies, qui cum naturali amore sui corporis, & deliciarum fomite, atque cupidine quietis odium coniungant eiusdem corporis, & assidui certaminis labores, & molestias ferant, & ita ad perfectionem, & sanctitatem pertingant? Hinc scriptum illud est. Multos esse vocatos, paucos vero electos] quia multi incipiunt, sed ad finem non omnes, sed pauci perueniunt. Postquam enim multi ceperint per viam salutis incedere, cum eam facilitatem progrediendi per vsum medij sacræ communionis eo modo, quo aliqui docent (de quo infra, & nos iam innuimus aliquid supra) non inueniant, difficultatibus, ac propria pusillanimitate deterriti pedem sistunt, & ne leuitatis, & inconstantiæ arguantur, neue existimationem aliquam virtutis iam adeptam, amittant, persistunt in exercitio virtuoso sanctissimæ communionis Matt. c. 22.

aren-

Serm.2.de Assumpt. B.M.V.

arenti tamen corde, distracti, ac indeuoti, & vt cum Bernardo loquar. Solas manus mouent ad opera, corde penitus arido, ducti consuetudine quadam, quasi vitula Effraim docta diligere trituram: exteriorum, quæ ad modicum valent, ne vnum iota prætereunt, sed camelum glutiunt dum culicem liquant] & quod peius est, ex eo quod hæc exteriora agunt, & materialiter ad sacratissimam Eucharistiæ mensam quotidie accedunt, alijs se præferunt, aliosque superbiendo contemnunt, non secus ac Pharisæus ille Euangelicus: & sic dum alios videntur decipere, non minus se ipsos seducunt. Vnde dixit Bernardus. Videbis interdum sic palliatos homines, vt seducant etiam semetipsos, non attendentes vermem, qui interiora depascitur; sed Deus non irridetur] & hi quidem quam proximi sint ruinæ, quamque dispositi, vt nuptialem vestem exuant, nemo non videt; cum initium omnis peccati sit superbia, & hæc est zizanium, quod oritur in medio tritici. Ita sensit Augustinus, de quibusdam similibus, dum dicit. Quare ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem prius ascendit Angelus, & descendit Diabolus.]

Luc.c.18.

Serm.2.de Assumpt. B.M.V.

Eccl.c.10.

Soliloq. c.24.

Gen.c.28.

Reminiscere quæso illius Iacob scalæ à Cœlo ad terram vsque tendentis, in qua omnes, qui aderant Angeli erant, homines videlicet Dei gratia prædi-ti, grauis culpæ expertes; verum qui non ascendebant, descendebant; nemo in Scala Dei sistit: Charitatis

ritatis ignis otiosos esse non patitur, inquit Gregorius. Vnde qui per charitatis feruorem non ascendunt; per teporem, siue tumorem superbiæ descendunt, nam illis Deus à summitate scalę adiutricem manum præbet, quam denegat istis, quia altus est, sed humilia exaltat, & alta à longe cognoscit] Qui ergo quotidianis exercitijs non ascendit, non proficit, deficit ac descendit, vsque dum vel ad summum pertingat, eiusque conuersatio sit in cælis, vel ad ima descendat, & terrena sapiat. Homil. 30. in Euang. Psal. 137. Ad Philip. 1. c. 3.

Et tunc expauescere debet, ne ficulneæ sententiam de succisione percipiat: vt quid enim terram occupat, qui multo iam tempore de solo sibi viridantium foliorum ornamento blanditur, ac vanè alijs se gestit præferre, & iuste quidem hoc totum ex sententia Bernardi. Quia manente in huiusmodi superficie, salua sibi omnia arbitratur. Sed vt idem Sanctus subiungit. Virtutis species, non veritas, quasi qualitas est, non substantia.] Non fructus est, qui alios nutriat, & substentet, sed folium quod vento rapitur vanitatis, & tandem in terram deijcitur, vt conuertatur in terram, & ab hominibus conculcetur; sicut qui vane sola manente virtutis superficie super homines se extollebat, quique in Coelum sine virtutum alis volare tentabat, vt Magus ille Simon, qui ideò præcipiti ruina de aëris vacuo in terram illicò prostratus; nec vt alij, ambulare posset, qui male præsumpserat super alios per- Luc. c. 13. Serm. 2. de Assumpt. B. Mariæ.

uola-

uolare, & vt inquit D. Maximus; Qui vana, qui iniqua præſumptione pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.]

Huic igitur, ac ſimilibus quotidianam, ſiue frequentem ccmmunionem conuenientem non eſſe, etiam ſi peccatis lethalibus careat, nemo eſt, qui non intelligat, cum magis ad ruinam, quam ad ædificationem; magis ad infirmitatem, quam ad ſanitatem; magis ad mortem, quam ad vitam talis vel eſſet, vel eſse facilè poſſet communionis frequentia. Et hoc vnum eſt inconueniens, quod ex ſententia nimiæ in hac tam ſancta re facilitatis, emanat; alia multa infra conſiderabimus.

D.Thomas 3.par.q.80. ar.10.ad 3. adducit hæc Auguſtini verba. Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam eſſe Euchariſtiam, alius è contra faciat, quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum: neque enim litigauerunt inter ſe Zacchæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum, alter dixit, Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Ambo Saluatorem glorificantes, quamuis non vno modo.] Similiter idem S.Thomas ibidem in fine corporis ad eundem finem, vt ſupra, adducit illud Gennadij lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.33.tom.3.deſumptum, vt multi affirmant, ex Auguſtino. Quotidie communionem accipere nec laudo, nec vitupero] & in his caſibus, vt patet, authores iſti loquuntur de

ijs,

ijs, qui ex timore filiali, qui reuerentia est, quæ noscitur ex amore, vt asserit idem Doctor Angelicus; se elongant à communione (nam alioqui si de personis esset sermo, qui se elongant ex timore culpæ mortalis, non diceret Sanctus, non laudo, nec vitupero, sed debuisset eos, qui cum tali culpa accedunt vituperare, & eos, qui non accedunt laudare. Ita affirmat Alensis p.4.ar.4.§.1.quæstiunc.2.) Atque istos, qui ex dicto filiali timore recedunt à Sacra Mensa, non vituperant, sed potius laudant, asseruntque Deum glorificare non minus, quam alios, qui accedunt ad ipsam ex amore. Et tamen non desunt qui inuehuntur contra Directores illos, qui nō concedunt quotidianam ijs communionem, qui culpa solum mortali carent, in quibus amor pene nullus, & nullus saltem quoad effectus apparet, quos potiùs præsumptio, & tumor, quam amor, & charitas trahunt ad mensam, ant leuitas, & non desiderium veri amoris, vt affirmat Albertus lib.de Missa in fine, vbi non Directores arcentes huiusmodi à Sacra Mensa, sed Sacerdotes concedentes, & communionem ministrantes his verbis duriter increpat. De his, qui mulieres omni die communicant, videtur, quod acriter reprehendendi sunt, quia nimio vsu vilescere faciunt Sacramentum, & potiùs ex leuitate mulierum putâtur esse desiderium, quam ex deuotione causatum.]

Quid de istis, qui ex leuitate, et præsumptio-

ne, aut vanitate ad Sacramentum accedunt Augustinus diceret? Quid Ecclesia? Certè affirmarent non longe distare à malo, et dedecore eorum, qui ita manducant ex Apostoli sententia, vt in iudicium sibi manducent: nam si non indignè, vt illi, non tamen dignè manducant, quod prodesse non potest, vt infra videbimus. Si ergo cibus iste coelestis non prodest, ad quid perditio hæc? ad quid vteris pharmaco, si valetudini nihil accrescit? vt quid aduocas medicum, qui sic affectus es, vt non possit operari? vt quid sumis cibum, si vires non roborat, & nihil iuuat ad vitam? hoc esset tempus vanè, si non insanè terere, & opera, oleumque perdere.

De ijs, qui ex amore accedunt, vel ex filiali timore à Sacra Mensa recedunt non debet esse litigium inter pios authores; & erit de illis, qui accedunt non ex purgato amore, & illis, qui recedunt ex filiali timore, vel arcet obedientia Directoris, quia non reperit sufficientem dispositionem? erunt ne reprehensibiles huiusmodi Directores, quando piè; quia secundum regulas prudentiæ; agunt? quando deprimere intendunt, quos vanitatis ventus extollit? quando ita disponunt, vt apte tandem ad sacram mensam filios sibi subditos exponant?

Albertus d. 13. ar. 27. & 28. Quæ iam dicta sunt his verbis confirmat. Inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reue-

reuerentiæ retrahentem, medium debet tempera-trix ſeruare diſcretio.] Nimirum Directoris diſcre-tio, etſi hoc in ijs, qui à vero amore trahuntur, vel filiali timore retrahuntur; quanto magis Directo-ris diſcretio debet erga eos exerceri, qui amore non tamen ſincero, & puro quotidie ad Sacram Men-ſam præſumunt accedere?

Quænam diſpoſitio ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum requiratur, quique ad illud poſ-ſint frequenter, aut quotidie accedere, in ſequenti-bus declarabimus.

CAPVT II.

An licitum, & conueniens ſit omnibus, quotidie recipere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacra-mentum.

ANGELICVS Doctor 3.p.q.80.ar.10. in-quirens hoc idem, quod nos in hoc capite, clariſſime reſpondet ſecundum hanc diſtinctionē; nimirum; Si hoc Sacramentum conſideratur ſecun-dum ſe, ideſt ex parte eius quod recipitur, com-munio, ſiue huius Sacramenti perceptio deberet eſſe quotidiana, quia vtile, & ſalutare hominibus

est hoc Sacramentum: si verò consideratur ex parte recipientium, vtile non est hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quoties paratos, & dispositos ad illud recipiendum se inuenerint.] Et ratio S.Doctoris est, quia ad hoc Sacramentum recipiendum, præter carentiam grauis culpæ, requiritur magna deuotio; & reuerentia similis desideratur, quas in omnibus, vel etiam in multis ad esse quotidie, videtur nimis difficile, ac pene impossibile, ob multa impedimenta corporis, inquit S.Doctor, vel animæ indispositiones, quæ vix, aut nullatenus permittunt adesse regulariter in hominibus indesinentem, vt par est, deuotionem. Deuotionem dixit S.Doctor, non gratiam, quia vt ex verbis eiusdem patet, non solum hic, sed nusquam pro deuotione gratiam sumpsit, vt volunt Sanctius, Pintus, & alij sequaces, quorum explicationem, infra ostendemus, esse omninò à veritate alienam, esseque nouam, & inusitatam intelligentiam.

Ex dicta igitur Doctoris Sancti doctrina inferre licebit multis personis, multisque ex causis non conuenire quotidianum accessum ad sacratissimam Eucharistiæ Mensam; quod vtique determinare, quibus scilicet, & quando talis accessus erit expediens, prudentis Directoris est, non illius, qui accedere debet, quia in causis proprijs nullus bonus, & rectus iudex esse solet.

Hinc S.Doctor 2.2. q.88. ar.12. affirmat non posse

posse quemcumque in votis proprijs dispensare, sed recurrendum ad Prælatum, qui stat loco Dei, & interpres est volontatis ipsius, hic prudenter iudicabit quando, qualisue materia voti sit beneplacita Deo, & si in istis, vel illis circumstantijs, & respectu huius, aut illius personæ materia voti sit magis congrua, vel è contra. Et hoc est dispensare in votis per S.Doctorem. Cuius doctrinæ fundamentalis ratio communis est etiam ad alias materias: quia scilicet nemo in proprijs causis bonus regulariter, & rectus iudex est, sed ad alium recurrendum est, ad eum præsertim, qui stat loco Dei. Si ergo confessarij, & Directores animarum vices Dei in suo munere agunt, itaut qui illos audiat, Deum audiat: Luc. c.10. ad illos spectabit iudicare quibus, & quando conueniens, & vtilis erit accessus ad Sacram Mensam, quod vanum esset affirmare in sententia eorum, qui asserunt, aliud non requiri ad Sacram Eucharistiam recipiendam, quam solam lethalis peccati carentiam. Ideoque, vt præcedenti capite dicebamus, inuehuntur in directores, qui huiusmodi arcent à Sacra Mensa, eosque vt malos dispensatores multiformis gratiæ Dei, eiusque beneficiorum, ac profectus animarum impeditores repræhendunt, significantque esse seruos nimis auaros Domini satis liberalis, cum non omnibus concedere velint, quod Dominus pro omnibus instituit, omnibusque obtulit: si res, vt isti dicunt, se habet, ad quid circa Matt.c.10

hanc

hanc materiam consilium, siue præceptum directoris? vnusquisque peccati mortalis sibi non conscius accedat ad Sacram Mensam; Nam contrarium præcipere, non esset sine magno præcipientis, & eius, cui præcipitur, detrimento. Et hoc alterum est inconueniens, quod ex sententia aduersariorum oritur, circa quod infra plura dicemus, quia quod infertur ex doctrina aliquorum, non renuunt alij, (inter quos P. Antonius Velasquez Pintus meæ Religionis pius, & doctus vir in suo Thesauro communionis quotidianæ) expressè concedere, & aliquid ampliùs affirmare, de quorum sententia infra.

Neque huic nostræ doctrinæ de directore traditæ contrarius vllo modo est D.Thomas in 4.dist.12. q.3.ar.1.quæstiunc.2. vt iactant aduersarij. Dum ex Augustino docet. Quoad sacram communionem relinqui debere vnumquemque suo iudicio.] Nam id solum dixit, quia in hac materia nullus est cogendus, quamuis suadendus ad frequentem scilicet, aut quotidianam communionem; sed posteaquam ad illam se quisque libere determinauit, & ea, quæ in seipso ex communionis frequentia experitur, experto aperit directori, ad hunc spectabit disponere, siue præcipere, quid exequi debeat quoad maiorem, vel minorem communionis frequentiam, vt ex infradicendis, tum ex eodem Diuo Thoma, tum ex alijs Sanctis Patribus, Con-

cilijs,

cilijs, ac Doctoribus manifestè patebit.

Causa autem, vt diximus, ex S. Doctore, quare vtile non est multis, quotidie ad Sacram Mensam accedere; est carentia deuotionis, & reuerentiæ, quæ ex pluribus impedimentis contingere solet, ex corporis nempe, vel animæ indispositionibus. Quomodo ergo verum erit, quod Pintus, & aliqui cum eo dicunt authores; omnes nimirum cuiuscumque status, exercitij, & conditionis posse, ac debere quotidie accedere ad Eucharisticam Mensam, dum peccati lethalis conscientiam non habent? Negotia fori, cura familiaris, status coniugij, & alia huiusmodi permittunt ne mentem quotidie quietam habere? cor mundum, corpus purum, & animam reuerentem, ac deuotam? Etsi huiusmodi status, eorumque exercitia hoc sæpissimè non concedunt, vt experientia, est omnibus satis notum; concedere consequenter omnes debent, verum non esse, omnibus cuiuscumque exercitij, ac status sint, vtile esse, quotidie ad Eucharisticam Mensam accedere. Sufficiunt ergo vagationes mentis, quamuis necessariæ: diffusiones cordis, quamuis ex status obligatione: turpitudo corporis nulli etiam peccato obnoxia: puritas animæ non nimia, siue aliqua impuritas quamuis non ex grauioribus, vt accessus ad sacram communionem non sit vtilis; vt prudenter ac piè animarum director filios sibi subditos sacra sæpè Mensa prohibeat.

Non

Non facilè respondere possunt ; qui in hac materia ita remissè loquuntur, vt, margaritas ante porcòs proijcere, videantur ; Ad illud D. Thomæ de impedimentis ex corporis dispositione ; quæ impedimenta ab Ecclesia in Catechismo Romano composito iussu Patrum Concilij Tridentini ad instructionem Parochorum, & aliorum Sacerdotum, qui curam animarum habent, quique alios docere, & instruere debent, vt asseritur in proemio eiusdem Catechismi ; Reducuntur ad duo, vt est expressum in tractatu prædicti Catechismi de Sacramento Eucharistiæ, vbi agitur de præparatione requisita, ad hoc Sacramentum recipiendum ; nempè ad ieiunium naturale, itaut nihil cibi, aut potus ex media nocte antecedenti, qui sunt communicandi, susceperint: & ad Puritatem corporis in materia pollutionis, præcipitque ibidem Parochis, docere subditos, quod ad Sacramentũ hoc dum accedunt: non solum sint ieiuni eo modo, quo diximus, sed matrimonio iuncti per plures dies antecedentes ab vsu matrimonij abstinuerint, ad hanc eos exhortando abstinentiam, & animando exemplo Regis Dauid, qui non vt tantum Sacramentum reciperet, sed eius solummodò figuram, affirmauit Achimelech Sacerdoti, se suosque pueros per tres dies à mulieribus continuisse, sicque meruit panes propositionis accipere, quos negabat Sacerdos posse, & velle dare, si cum mulieribus cõmixtionem habuissent.

Matt. c. 7.

Si

Si ergo ad manducandum panem illum, qui figura erat, requirebatur tanta puritas corporalis, quanta requiri debet ad ſumendum figuratum? ſi pro vmbra tanta mundities erat neceſſaria, quanta pro corpore realiſſimo, & puriſſimo Dei, & hominis Chriſti Ieſu? pro pane terreno, & hominum, quia ſolummodò Deo oblatus erat, requirebatur corpus omninò mundum à mulieribus, & bonum, atque conueniens reputabitur, corpore ſenſualitate fœdato, manducare panem Angelorum, & cibum cœleſtem? qui non ſolum eſt Deo conſecratus, ſed eſt ipſemet Deus incarnatus; & vt ita dicam; & olim dictum eſt; impanatus.

Audi Hieronymum à Diuo Thoma ad noſtrum propoſitum adductum, ſuper Matthæum, dicentem. Si panes propoſitionis ab his, qui vxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis panis, qui de Cœlo deſcendit, non poteſt ab ijs, qui coniugalibus paulò ante amplexibus vacauere, violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus, ſed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare carnalibus operibus non debemus] idem Hieronymus de ſe fatetur. quod cum aliqua impuritas inuoluntariè ſibi noctis tempore accidebat, nullo modo audebat de mane, non inquam Sacram Euchariſtiam ſumere, ſed nec ingredi in Martyrum templa.

3. p. qu. 80. ar. 7. ad 2.

Hæc autem, & Eccleſiæ, ac aliorum doctrina

omninò superflua esset, (vt infra magis dicemus) in sententia authorum, qui ad dignè, & cum fructu Sacramentum Eucharistiæ recipiendum, præter carentiam culpæ grauis, nihil aliud omninò requirunt: nam certum est actum maritalem culpabilem non esse, nec etiam venialiter, si debito modo fiat, vt videre est apud D. Thom. loco citato ar. 7. ad 2. Imò non desunt, qui asserant, esse actum meritorium, & fortasse in aliquo sensu verum dicunt (de qua re infra magis explicitè, & clarè agendum est) & nihilominus Catechismus præcipit Parochis non solum virtute, & authoritate Patrum Concilij Tridentini, sed authoritate etiam & exemplo Sacrę Scripturæ; quod Sacramentum Eucharistiæ quando coniugatis concedere volunt, eos doceant, ab actu maritali per plures antecedentes dies abstinere.

Et ratione huius summæ puritatis, quæ ad hoc Sacramentum recipiendum requiritur, vt ex multis Sacræ Scripturæ exemplis, Ecclesiæ præceptis, siue consilijs, & Patrum, ac piorum Scriptorum doctrina colligitur; permulti, qui Deo placere student, & proprijs animabus consulere, nec audent ad illud accedere, cum aliqua eis turpitudo corporalis præcedenti nocte sine vlla ipsorum voluntate contingit, imò cum consequenti displicentia voluntatis: & quamuis hæc purè materialis impuritas absolutè à Mensa coelesti retrahere pios non debeat,

beat, nisi vt modo dicemus, adhuc tamen ab ea abstinere, laudabilis reuerentia ab omnibus semper æstimata est. Irreuerentia igitur vituperabilis iudicabitur, affirmare, omnes indiscriminatim, & sine vlla exceptione, quacumque etiam corporis cum impuritate, si graui culpa careant, posse quotidie, imò debere ad purissimam Eucharistię Mensam accedere.

Si ita apertè à Sancta Ecclesia ob solam corporis turpitudinem nullius peccati ream multis hoc Sacramentum non conceditur; quo nam pacto affirmari debet, posse, ac debere omnes indiscriminatim quotidie Sacram Eucharistiam recipere? qui enim ante illius sumptionem per plures dies debent abstinere ab actibus maritalibus, necesse est, vt per eosdem dies hoc careant Sacramento; vt ad illud tandem non solum mente, sed corpore etiam mundo, puroque accedant, vt tanti Sacramenti puritati, ac diuinitati conuenit.

Adde, quod in sententia istorum authorum, qui ita erga omnes liberales sunt, nec de rebus Domini sui, sed de corpore eiusdem; liceret inferre (& hoc maximè notandum est) quod si quis nocte, imò ipso mane cum scorto impudicissimè conuersatus esset, paulo post, præmissa Sacramentali confessione, posset tutissimè, & maximo cum fructu ad Sacram communionem accedere; quod quam sit falsum patet ex supradictis, & ex infra

dicendis magis patebit. Imò si confessarius huiusmodi poenitenti communionem negaret, reprehensibilis esset: quæ sane propositio obtundit aures piorum, non tamen hoc malum, quod vix sustinere possunt aures virorum piorum, fuit sufficiens ad retrahendam manum Ioannis Sanctij, ne hanc in suis selectis disputationibus scriberet sententiam, & ne, quod alios offendit audire, ipse omni promptitudine affirmaret, qui author in aliquibus sententijs ad laxiora tendit, & nullo modo audiendus, nosque de doctrina eius (in qua fundantur omnes, qui de communione quotidiana, secundum sententiam iam relatam, scripsere) magis diffusè infra agemus. Omnes verò alij authores communiter non excusant à graui culpa, saltem veniali, qui sine magna necessitate, cum dicta iam corporis impuritate, accederet ad sacram communionem: itaque fructus, quem à sacra communione iste in communi sententia perciperet, esset culpa saltem venialis; & in sententia Sanctij, & discipulorum eius, esset non solum gratiæ augmentum, sed donorum, & auxiliorum incrementum.

Sed remittamus aliquid de rigore Catechismi, quia quo magis crescit imbecillitas, & malitia humana, eo magis exprimitur benignitas, & misericordia diuina, dicamusque cum Hieronymo supra citato, & aliorum authorum doctrina ab ipsius Ecclesiæ praxi approbata, non per triduum iam,

aut

aut per plures antecedentes dies, ſed ſaltem ex pręcedenti nocte dictam corporis puritatem requiri; ad ſacram communionem percipiendam, vt de facto authores requirunt, ex doctrina D. Hieronymi, & D. Thomæ ſupra cit. ar. 7. vbi inquirendo, an pollutio nocturna impediat ſacram communionem, reſpondet affirmatiuè, diſtinguitq; ibi diuerſas pollutiones ex diuerſis cauſis, noxijs ſcilicet, vel innoxijs, voluntarijs, ſine non, ex delectatione, vel ex alio non in honeſto fine, & de omnibus affirmat, non licere cum ea turpitudine accedere ad ſacram menſam, vel ob decentiam, quando pollutio non prouenit ex cauſa culpabili, vel ob neceſſitatem, quando prouenit ex cauſa culpabili, vt ex crapula, aut cogitationibus lethaliter noxijs, & hoc, etiamſi ante confeſſio præmitteretur; quia, vt inquit S. Doctor, reſpondendo ad quartum argumentum: quamuis per pœnitentiam auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis ex pollutione conſequuta, quæ deuotionem tollit, quam, vt neceſſariam omnes, ad hoc ſacramentum dignè recipiendum, requirunt.

Quid ergo diceret D. Thomas de illo, qui tota nocte cum ſcorto graſſatus eſſet, permitteret ne iſti acceſſum ad diuiniſſimum ſacramentum, etiam poſt emiſſam ſacramentalem confeſſionem? qui denegat omnibus ex cauſis, quæ vel non ſunt cum peccato, vel non cum graui peccato (ab ea enim de

qua

qua nos hic loquimur S.Doctor omnino abhorruit, nec vllo modo de ea loquendum putauit) concederet ne illi, qui adeo iniquis pollutionibus paulò ante corpus fædauit, mentem dissipauit, animam coinquinauit? auferatur culpa per poenitentiam, mentis distractio, & immunditia corporis nõ aufertur ex Leuitico cap. 15. vbi dicitur. Vir de quo egreditur semen coitus immundus erit vsque ad vesperum, sed immundis, inquit sanctus, non patet aditus ad sacramenta, multo minus patebit homini adeo immundo aditus ad tantum, tamque diuinum sacramentum, quod ratione suę sanctitatis, & puritatis, panis etiam dicitur Angelorum.

Sed Pater Pintus in discursu 6. sui Thesauri cap. 3. n. 10. respondet, D. Thomam ideo affirmasse, pollutionem impedire communionem, quia eo tempore, quo ipse scripsit, extabant in aliqua (vt Pintus dicit) aut aliquibus prouincijs decreta, quæ pollutis interdicebant communionem, sed deinde huiusmodi decreta, vt contraria vniuersali Ecclesiæ, fuerunt sublata: hanc autem responsionem non aliunde certè sumpsit Pater Pintus quam ex sui capitis biblioteca.

Et in primis vbi ipse legit, id quod respondet, si nec scit, an huiusmodi decreta fuerint in vna, vel pluribus prouincijs, & in qua, aut quibus. Deinde si res se habet, vt inquit Pintus, non debebat S. Doctor tradere generalem doctrinam ob peculia-

res

res leges vnius, vel alterius prouinciæ. Tertio euidenter constat dictam Pinti responsionem esse ex proprio capite, & sine vllo sufficienti fundamento, quia D. Thomas non adducit decretum, aut legem aliquam ad firmandam hanc suam doctrinam, vt facere solet, quando in aliqua legge, aut consuetudine fundat, sed potius ratione illam firmat, ideo enim dixit, quod quamuis per poenitentiam auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consequuta; quæ deuotionem tollit: & si legem adducit non est alicuius prouinciæ, quæ possit abrogari, sed Leuitici, omnino indelebilem, qua asseritur immundum esse pollutum, & ad res sacras inhabilem, & consequenter ad sacramenta, vt infert D. Thomas, & si tunc ad illa, quæ figura erant nostrorum, multo magis ad nostra, & præsertim ad Eucharistiæ sacramentum, quod maximum est, inquit Angelicus, erit inhabilis. Adde quod ijs, qui ex sententia magni Gregorij asserebant non esse prohibendum ab ingressu Ecclesiæ, & à sumptione Eucharistiæ, sed suo iudicio relinquendum, qui sua coniuge non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia vtitur, vt ibidem refert D. Thomas; vnde inferebant, quod si pollutio voluntaria à peccato libera extra somnum non impedit hominem à sumptionem corporis Christi, multo minus pollutio inuoluntaria; & innoxia ha-

Leuit. c. 15

3. p. qu. 80. ar. 7.

bita

bita in somnis debet impedire. Respondet Angelicus Præceptor, vt videre est in cit.art. ad secundum, non adducendo quidem aliquod decretum, aut legem, siue prouincialem, siue generalem, sed doctrinam D. Hieronymi à nobis supra in hoc capite allegatam, qua infert Hieronymus, vt sequitur. Quod si panes propositionis non poterant comedi ab ijs, qui vxores tetigerant, multo minus panis, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui paulò ante vacauere amblexibus coniugalibus, violari, atque contingi.] Ex eodem Hieronymi argumento infert etiam D.Thomas, quamcumque pollutionem impedire hominem à sumptione purissimi cœlestis panis solum ex conuenientia, quia ex necessitate, solum impedit culpa mortalis: & tandem subdit S. Doctor tam ex sententia propria, quam ex sententia Magni Gregorij: Quod si voluptas dominetur in opere, prohiberi tunc homo omnino debet, nec permittendus accedere ad hoc diuinissimum Sacramentum. Quarto, quomodo dici potest decreta, quæ asserunt, pollutos debere se à communione abstinere, esse contraria Ecclesiæ vniuersali, si in huius doctrina apertissime idem præcipitur, vel ad minus consulitur, vt patet ex modo dictis, ac deinceps ex dicendis amplius patebit, tum per doctrinam Cathechismi, tum rubricæ missalis, quæ doctrina post tempora D. Thomæ ab Ecclesia manauit: si ergo decreta, quæ dicit Pintus extassent,

ſent , non fuiſſent abroganda , vt contraria Eccleſię, ſed potius , vt ſuæ doctrinæ conformia , firmiter ab eadem Eccleſia ſtabilienda ,

Et ſane dicendum videtur, authores , qui contra nos , & contra hanc ſanam , & ſanctam doctrinam ſentiunt, non ſufficienter appræhendere , quam fæditatem pollutio inducat ſæpe in animam , & ſemper in corpus : & tamen pollutio dicitur , quia polluit , & deturpat , & in Apocalypſi , inquit Ioannes , quod non poterant laudes Deo canere , niſi qui non fuerunt cum mulieribus coinquinati : Et Apoſtolus requirit in coniugatis pollutionis abſtinentiam , vt Deo vacent in oratione coinquinat ergo pollutio ita , vt etiam ad laudes Dei canendas , & orationi vacandum reddat ineptum : & tamen per aduerſarios , qui ita coninquinatus eſt , & immundus , aptus eſt , ad puriſſimum Virginis filium , ad Dei Vnigenitum in ſuum immundiſſimum corpus in ſuam animam coinquinatam, vel ſaltem diſtractam , & indeuotam , recipiendum . Apo.c.14. 1.Cor.c.7.

Totam traditam D. Thomæ doctrinam Eccleſia Sancta pro lege amplectitur , vt videre licet in rubrica miſſalis de defectibus diſpoſitionis corporis num. 5. vbi ſolum permittit ſupradictis communionem , aut celebrationem Sacrificij in caſu neceſſitatis , vt etiam concedit S. Doctor loco citato , qui ad oſtendendam amplius neceſſariam corporis puritatem ad tantum , tamque purum Sacramentum

recipiendum, hoc argumentum proponit, quod à minori ad maius efficaciter probat intentum. Si inquit, volentes tangere aliquid sacrum manus lauant, vt puris manibus ab omni corporali sorde, ob reuerentiam rei Deo sacratæ, tangant; quanto magis requirenda erit omnis munditia, etiam corporalis, non ad tangendum solummodo, sed intra se recipiendum sacratissimum, ac Sanctissimum corpus hominis pariter, & Dei.

Auderet ne quisquam Sancti alicuius reliquiam in vase etiam pretioso, attamen immundo reponere? Nullus certè respondebis, qui iniquus, aut amens non est. Et quod non auderet homo circa particulam demortui corporis alicuius Dei seruuli, audebit circa corpus, circa animam, circa diuinitatem, circa Christum Deum viuum, & hominem verum, & Dominum omnium Sanctorum, omniumque rerum?

Prohibet rubrica reponi, aut conseruari Christi corpus, siue sanguinem in vase, etiam si sit argenteum, dum auro coopertum non erit, & scrupulum Doctores faciunt, si aurum imminutum, & consumptum, in aliquibus partibus argentum discoopertum appareat. Et licitum erit, imò vtile, ac meritorium (vt aiunt contrarij) reponere Christi corpus in anima impuritatibus, & iniquitatibus paulò ante commissis, inquinata, quamuis per pœnitentiæ Sacramentum expiatis, dum in corpore

ita

ita immundo residet, in homine ita distracto, & indeuoto, & charitatis feruore discooperto, ne dicam, pene nudo?

Ex impuritate corporis, impuritas quædam resultat in animam, vt omnes prudentes putant, & aliquid simile dicunt Theologi de traductione peccati originalis per naturalem corporis generationem ex Adamo. Vnde ex impuritatibus iam dictis, etiamsi anima per pœnitentiæ Sacramentum ponatur in gratia, sitque hoc modo vas argenteum, vas aureum, adhuc tamen inquinata, & aliquo modo immunda remanet, tum ex fœtore mortalium, quæ paulò ante commissa sunt, tum ex venialibus, quæ ex distractione mentis, & hebetudine, cordisque socordia inde resultant: sicque vas animæ quamuis argenteum, quamuis aureum, immundum adhuc erit, facietque Deo summæ munditici, & puritatis nauseam. inducunt enim venialia suam maculam in animam, etiam si aurea sit, vt inquit D. Thomas 3. p. q. 87. ar. 2. & si hoc non faciunt per detractionem, vt mortalia, id præstant dicit S. Doctor, per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta luti, aut pulueris. Audebis igitur reponere Christi corpus in vase, & si pretioso, tamen luto puluere, alijsque immunditijs fædato? Non auderes homini in simili vase nectar propinare, & audebis in eo Sanctissimum, & purissimum Christi corpus includere?

Puritatem materialem, siue corporalem in omnibus maximè exigebant Pastores animarum, & Patres Ecclesiæ, affirmat Diuus Maximus, non solum ob eius conuenientiam, quæ maximè conducit ad dispositionem hominis, & decentiam Sacramenti; sed vt per hanc etiam indicarent, quæ nam esse debeat mundities, & animæ puritas. Nam loquendo vir Sanctus de more illo sui temporis, quando Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non in os, vt nunc, laici accipiebant, sed viri in manus, quas diligenter prius lauare, & ab omni sorde mundare tenebantur; & mulieres in quædam candida, & munda linteamina, quæ dominicalia dicebantur. Sic ait. Omnes viri, qui communicare desiderant, prius lauant manus suas, vt mente pura, & nitida Christi Sacramenta recipiant: similiter, & mulieres nitida exibeant linteamina, vbi corpus Christi accipiant, pura mente & pura conscientia.] De hac etiam consuetudine loquitur D. Chrisostomus, idemque significat, quod S. Maximus, & addit. Nullum, opinor, velle manibus sordidis, & illotis ad hoc Sacramentum accedere, sed malle potius, non prorsus accedere, quam sordidis manibus, & si in re parua adeo vnusquisq; reuerens, & religiosus esset; audebit accedere sordidam, & deturpatam habens animam, & illud tangere? atqui ad tempus quidem manibus tenetur, in illam verò totum integrumque resoluitur.]

S. Maxim. aduersus Monoth.

S. Chrisost. homil. 3. ad Ephes.

Ex

Ex quibus patet quanti ſemper æſtimarunt omnes cordati, & pij homines non ſolum animæ, ſed corporis etiam munditiem, ac puritatem, ad Sanctiſſimum Chriſti corpus conuenienter, ac dignè recipiendum.

Et ita Patres Eremi hanc requirebant, ſicut legitur in collationibus patrum (& eſt exemplum adductum à D.Thoma loco ſupracitato) vt multo tempore priuarint pium Monachum in ſolemnitatibus ſacra communione, in quibus omnes alij ad eam admittebantur, non alia ratione, niſi quia nocte ſolemnitates præcedente, in quibus omnes Monachi ſacram Euchariſtiam recipere debebant, in pollutionem incidebat, inuoluntariè tamen, & non ſine animi ſui diſplicentia. Tandem ideo illi Monacho communionem permiſerunt; quia, conſilio Seniores inito, exiſtimarunt, illas pollutiones potuiſſe accidere ex nequitia Diaboli, vt illum pium Monachum ſacra communione priuaret, & ita fuiſſe, euentus probauit, inquit S.Thomas, cum deinceps, & pollutiones, & prauæ cogitationes ceſſauerint.

Ad totam hanc noſtram doctrinam roborandam conſiderari debet id, quod Eccleſia dicit in ſupracitata rubrica Miſſalis, nam præter id, quod dicit in nu.5.de pollutione; in 2. nu. ſic ait. Si ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtea non dormierit, nec ſit digeſtis, non pec-

peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum (loquitur de Sacerdote, qui debet celebrare, & de eo, qui debet communicare) at D. Thomas omninò affirmat abstinendum à communione in similibus casibus, maximè si mens propter insomnietatem, vel indigestionem multum perturbetur, quia tunc ad communionem videtur ineptus: ita Sanctus Doctor. Et horum omnium ratio est; quia Ecclesia, & SS. Doctores, ob puritatem, & sanctitatem huius Sacramenti, duo requirunt in sumptione eiusdem (vt ex dictis patet, & magis ex dicendis patebit) munditiam scilicet corporis, & animæ: ad deuotionem, & reuerentiam: vtraque vel minuitur, vel tollitur per pollutionem, & crapulam, proueniunt namque ex passionibus omninò corporeis, & brutalibus, quæ si dominantur in homine comparant eum iumentis insipientibus, & similem illis efficiunt, suntque inter se satis connexæ, & vna alteri manum præbet, hinc concinnè quidam protulit. Sine Cerere, & Bacco friget Venus. Et ex vtraque fœditas quædam resultat in corpus, & sæpè etiam in animam, contra primam conditionem requisitam, ac debitam summæ puritati huius Sacramenti. Resultat etiam hebetudo mentis, cordisque socordia, ita vt totus homo tabescat, omnisque deuotionis, & reuerentiæ expers reperiatur, contra secundam conditionem requisitam, & debi-

Psal. 48.

tam

tam summæ sanctitati Eucharistiæ.

Et ex his iterum patet falsitas responsionis Pinti ad D. Thomæ doctrinam. Si Angelicus Doctor alijs suam traditam doctrinam rationibus, & paritatibus corroborat, eamque Ecclesia amplectitur, & in rubricis Missalis ponit: signum euidens est, neque D. Thomam talem doctrinam tradidisse, quia ea de re extabant decreta; neque si decreta extassent, fuissent ab Ecclesia sublata, sed potius confirmata, vt est certum ex dictis. Et etiamsi rubricæ Missalis (vt vult Pintus) non habeant rationem constitutionis, & legis, sed instructionis secundum sententiam, & opinionem probabilem; adhuc tamen indubitatum est, quod hæc sententia, & opinio, quam amplectitur, & sequitur Ecclesia ob suam authoritatem, & dignitatem, debet præualere sententiæ, & opinioni cuiuscumque authoris, etiam grauissimi, & doctissimi; multo magis sententiæ, & opinioni Sanctij (quem de Aponte, infra citandus, appellat hominem paruæ litteraturæ) & aliquorum, qui eiusdem Sanctij doctrinæ, specie pietatis allecti, firmiter adhæsere.

Ex his quæ dicta sunt, patet permulta esse, quæ pene necessitant animarum directores, aut prudenter inducunt, ad quotidianam communionem multis non concedendam; quot enim sunt causæ, siue occasiones, quæ corpus aliquo modo contaminant, aut animam distrahunt, & debitam ei deuutionem

& re-

& reuerentiam impediunt (quæ sunt penæ infinitæ) tot erunt motiua prudentialia, aut necessaria, quotidianam communionem non concedendi.

Magnificare diuinam munificentiam, & liberalitatem optimum est, sed ita non est, quando ista magnificatio cum debita Dei reuerentia, cum honore Deo debito consociata non est, quæ simul cum animarum salute debent attendere, qui piorum animas per viam salutis deducunt; nec vnum sine altero Deo placere potest, nec reuera saluti animarum prodesse. Non amplius ergo illi, qui ita magnificant diuinam liberalitatem, vt obliuiscantur reuerentiæ, & honoris Deo debiti, reprehendant directores, qui vtriusque memores, parcius, iuxta prudentiæ regulas, se habent in materia, de qua agimus: & si adhuc in sua opinione persistunt, oportet, vt simul cum animarum directoribus, D.Hieronymum, D.Thomam, & omnes ferè grauissimos Authores, ac Sanctos Patres (quorum doctrinam infra ponemus) imò ipsam vniuersalem Ecclesiam reprehendant, & damnent.

Sed Pintus adhuc conatur alia responsione soluere vim, quam allegatæ rubricæ Missalis contra suam continent, & Sanctij sententiam; Ait enim; Ecclesiam in dictis rubricis loqui de Sacerdotibus in celebratione Sacrificij, in quibus requirit maiorem puritatem ad celebrandum, quam in laicis ad communicandum: quod ipse probat pluribus authori-

thoritatibus, ac etiam doctrina D. Thomæ in 4. dist. 11. q. 3. ar. 2. quæstiunc. 2. ad primum vbi S. Doctor affirmat; Sacerdotem in graui culpa celebrantem committere duo peccata; laicum verò in culpa communicantem, vnum.

At certe Pintus; vel non bene considerauit verba Rubricarum, vel ad suam propositionem defendendam, in multitudine verborum, & authoritatum, quæ ad rem parum, aut nihil faciunt, veritatem inuoluere, & obumbrare conatur.

Quod autem in sacerdotibus Ecclesia requirat maiorem puritatem, & sanctitatem, est omnibus satis notum: hæ namque eos decent, ob ministerium sanctissimum, quod exercent, & gradum summum, quem obtinent, qua ratione, facti sunt spectaculum mundo, Angelis, & hominibus, qui in eis omnia considerant, & singula ponderant. At verò quo ad receptionem Eucharistiæ, æquali modo se habent laici, & sacerdotes, nec maior in istis puritas requiritur, ad dignam, & fructuosam communionem, (de qua nos modo loquimur, estque inter nos controuersia) quam in illis; & sicut non plus requiritur ad digne, & fructuosè communicandum bis, aut ter in hebdomada, quam semel, vt sæpissime, in suis discursibus repetit Pintus, ita pariter non plus in sacerdotibus ad digne, & fructuosè communicandum, quam in laicis; sed quia in sacerdotibus attenditur etiam gradus, & digni-

tas ministrandi, ac exercendi functiones ecclesiasticas, ratione quarum sunt, vt dicebamus, spectaculum, & veluti speculum omnibus: ideo in eis exposcit Ecclesia maiorem puritatem, & Sanctitatem; atque ideo si hæ desunt eis, & adsunt vitia, quæ laicos offendunt, facile illos à ministerio gradus suspendit, ne laici, dum horrent ministros, à ministerio, & sacris mysterijs simul abhorreant, & dicitur ista suspensio à Diuinis; quæ non impedit receptionem Sacramentorum modo laicali, cum non plus ad communionem præcise requiratur in sacerdote, vt diximus, quam in laico: & in hoc sensu loquuntur ij omnes, quos adducit Pintus in discursu 6. cap. 3. num. 9. vt facile cognoscet, qui cum attentione ea leget, quæ ipse affert. Sed dictam iam suspensionem Ecclesia non exercet in sacerdotibus ob crapulam, siue occultam pollutionem, sed solum ob peccata publica, & quæ laicos offendunt. Et hinc colligitur, in citatis rubricis Ecclesiam non loqui de suspensione à diuinis, sed de abstinentia à communione, quam sacerdotes exercent communicando in sacrificio, & ita de communione omnium tam sacerdotum, quam laicorum:

Nec doctrina D. Thomæ, allegata à Pinto, aliquid pro ipso probat; nam quod sacerdotes committant duo peccata, non est præcisè ratione communionis, sed huius, & consecrationis, quam indigne

digne exercent: neque hic contendimus de indigna receptione ſacramenti, ſed de ijs, quæ ad dignam, & fructuoſam requiruntur, vt ſæpe, aut quotidie ab aliquibus, aut ab omnibus recipiatur: indigna autem communio non quotidie, non ſæpe, ſed nunquam fieri debet, vt autem digne, & fructuoſe fiat ab omnibus, tam laicis, quam ſacerdotibus eadem prorſus neceſſaria ſunt.

Sed veniamus ad verba Rubricæ Miſſalis, quorum ſenſus, vel ex ipſiſmet verbis in eodem numero Rubricæ poſitis percipitur vt in 5. vel ex antecedenti, vt in 2. vbi quamuis verba huius Rubricæ nihil dicant de communione laicali, aut ſacrificio ſacerdotali, tamen ex verbis antecedentis Rubricæ clare cognoſcitur, in ſequenti, loquutionem eſſe tam de ſacrificio ſacerdotali, quam de communione laicali, nam in Rubrica num. 1. dicitur. Si quis non eſt ieiunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ; & in quacumque parua quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.] Nota ly communicare contradiſtinctum à celebrare cum ratione naturalis ieiunij vtrique appoſita. Et deinde in 2. numero proſequitur præbendo conſilium abſtinendi, ſcilicet à communione, aut celebratione ob indigeſtionem, quia hæc tollit deuotionem, vt ibi dicitur, perturbando mentem, quæ ratio valet, tam pro ſacrificio, quam

pro communione , quia ad vtrumque requiritur deuotio ex D. Thoma , & alijs supra citatis .

In quinto vero numero expresse est sermo tam de communione , quam de celebratione , his verbis . Si præcesserit pollutio nocturna , quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione , quæ sit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione , & celebratione , nisi aliud Confessario videatur . Si dubium est an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale , consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis.] In his Rubricæ verbis clarè dicitur, etiam post confessionem abstinendum esse , non solum à celebratione , sed etiam à communione , quam priuatè posset facere & Sacerdos , & Laicus ; at quando dubitatur , an causa pollutionis fuerit peccatum mortale , tunc solum conceditur communio , aut celebratio in casu necessitatis . Et hic etiam incidenter aduertere licet , Ecclesiã committere iudiciũ Confessario , an communio , siue celebratio in talibus casibus fieri debeat , vel è contra , & non illi , qui debet celebrare , aut communicare , vt contrarij volunt , & acriter defendunt , & eos , qui contradicunt, repræhendunt.

Sed demus Pinto , Ecclesiam in dictis rubricis loqui solum de Sacerdotibus . Ex hac eius responsione (eiusdem nunc supposita doctrina , quam c.7. referemus ,) clarè contra ipsum , & alios omnes ,

qui

qui eandem ſequuntur doctrinam, (quæ quidem Ioannis Sanctij eſt) infertur Eccleſiam non bene, ſed male præcipere, ſiue conſulere, ne Sacerdotes poſt pollutionem, aut crapulam ſacrificent: & communicent; quia quamuis in iſtis requirat ad functiones ſacras maiorem vitæ puritatem, & ſanctitatem, tamen communionem ad quam ſacerdotes habent ius non minus, imò magis, quam Laici, non poteſt eis impedire; ſicut per doctrinam iſtorum authorum, ob ſimile ius, ſiue præceptum diuinum; vt videntur aliqui ex ipſis ſignificare; quod habent omnes in virtute Baptiſmi, non poſſunt Laici impediri à commnnione, neque in materia communionis tenentur obedire Superioribus, quibuſcumque Deo inferioribus: pari ratione hoc idem debent ipſi affirmare de Sacerdotibus, & hoc de iſtis non ſolum quoad communionem laicalem, de qua per doctrinam Pinti, & ſequacium non poteſt eſſe dubium; ſed etiam de ſacrificio Miſſæ, quia ad hoc ſimul, & communionem ipſi primo, & deinde alij, habent ius per ipſummet Pintum, vt in diſcurſu 1. cap. 1. nu. 17. quod probat ex illis Pauli verbis 1. Cor. 11. Accipite, & comedite ex eo omnes &c. Ibique authoritate multorum conciliorum conatur oſtendere, Chriſtum Dominum per dicta verba intimaſſe Sacerdotibus, eoſque obligaſſe ad quotidianum ſacrificium in ſuæ paſſionis memoriam celebrandum. Si hæc ita ſe habent, quomodo

po-

potuit Ecclesia præcipere, aut consulere abstinentiam communionis, & celebrationis ad quam habent sacerdotes ius, & fortasse, ex sententia Pinti, præceptum à Christo Domino, non minus, imo magis quam laici ad simplicem communionem, si ergo isti dum sunt in statu gratiæ non possunt per quodcumque aliud impedimentum (quia nullum potest esse impedimentum ad communionem per dictos authores, præter graue peccatum pœnitentiæ sacramento non deletum) præpediri, neque per quoscumque retardari à communione: multo minus Sacerdotes, cum idem, aut maius ius habeant ad offerendum, & sumendum Christi corpus. Item speciali quadam ratione Sacerdotes plus tenentur ad sacrificium, quam Laici ad communionem, vt infra cap. 11. explicabimus. Qua fortasse ratione leges omnium fere Religiosarum familiarum obligant sacerdotes ad quotidianum sacrificium, non vero alios Religiosos ad quotidianam communionem, sed quibusdam solum determinatis diebus.

Ex his igitur, quæ contra responsionem Pinti adduximus; sequitur dicendum primo. Vel Ecclesiam in suis dispositionibus, siue consilijs errasse, quod nefas est affirmare, etiam per ipsum Pintum, qui cap. 12. eiusdem discursus inquit, Ecclesiam rectam à Spiritu Sancto errare non posse: vel dicendum in citatis Rubricis Ecclesiam loqui vniuersali-

ter

ter de puritate, & deuotione, quas in omnibus requirit, ob puritatem, & sanctitatem huius diuinissimi Eucharistiæ sacramenti, quæ per impuritatem ex pollutione, & distractionem ex crapula vix, aut nullatenus in hominibus haberi possunt. Secundo sequitur dicendum aduersarios minus consequenter in suis determinationibus, quam par est, procedere, vt ex iam dictis non obscurè cognosci potest. Sed nos ad alia procedamus.

CAPVT III.

Quid senserint Sancti, & Doctores de quotidiana Sacramenti Eucharistiæ sumptione.

NON desunt, qui catenam ex sententijs Doctorum, Patrum, & Conciliorum componunt, ad probandum istorum authoritate, concedendam omnibus esse quotidianam communionem. Sed huiusmodi authorum argumenta, eo modo quo ipsi proponunt, Dialectici existimarent inepta, quia medium, quando variatur, vel non sumitur in proprio sensu, non scientificum, sed sophisticum gignit argumentũ. Si authoritates Sanctorum, ac aliorum adducerentur integræ, & in sensu quo prolatæ sunt, certe appareret, quam longè

gè distaret istorum opinio ab illorum, qui eas adducunt ad probandum, communionem omnibus indiscriminatim concedendam esse, si sola adest dispositio carentiæ culpæ lethalis.

Addiscere vellem ab istis authoribus, qui ita liberè, & absolutè loquuntur, de quotidiana communione, innixi, vt dicebam, authoriatibus. Quid sentiendum esset de eo, qui absolutè affirmaret. Non esse respondendum stulto iuxtà stultitiam suam, & ad hanc suam sententiam confirmandam, & contrarios arguendos, vteretur Sacræ Scripturæ authoritate, vbi Prouerb.cap.26.nu.5. dicitur. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis.] Et alius pariter absolutè contrarium affirmaret, suumque dictum authoritate eiusdem scripturæ stabiliret, quæ loco citato continuò subiungit. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.] Certè responderent, vtrumque malè dicere, quia Scripturæ verba non sunt dimidiatè accipienda, sed secundum integram sententiam, & integrum sensum, qui à multis conditionibus, & circumstantijs dependet; taliter, vt secundum Scripturam verum sit vnum, & alterum, si tempora; personas, & conditiones consideres, ac distinguas: erit enim tempus, circumstantiæ adesse possunt, & conditio personarum in quibus respondere stulto, & conueniens, & necessarium appareat: in alijs vero minimè. Si hanc doctrinam

au-

authoritatibus, quæ adducuntur à contrarijs, accommodabis, omnes difficultates solutæ manebunt. Sed mox considerabimus aliquas magis præcipuas ex multis, quas ipsi afferunt, vt ita manifestè appareat, ab aduersarijs Sanctorum authoritates, nec integras, nec in sensu ab ijsdem Sanctis prolatas adduci.

Verum ante supponimus, nullum fidelium dubitare posse, Sanctos viros hortatos esse, persuasisse, & incitasse omnes fideles ad opus tam sanctum, vt est quotidie in se recipere authorem vitæ. Sed etiam supponimus, nullum latere posse (si eorum scripta perlegerit) quam exactam, & diligentem præparationem, ac dignam dispositionem, ad recipiendum tantum Sacramentum, omnes requirant.

Vt enim homines viuant vitam spiritualem, & piam hoc cibo Diuino hìc in via; & supernaturalem, seu Diuinam in patria; Sancti viri tanquam sequaces, & Christi Discipuli, ac Ministri; sicut ipse fecit omnes vocando, vt accederent, & corpus suum sanctissimum manducarent, sicque viuerent; ita & ipsi faciunt, vt hoc etiam modo Diabolo, eiusque ministris se opponant; qui sicuti à principio, ita & semper ea malignè docere, & cauillis suis hominibus persuadere solet, quæ Dei præceptis, eiusque beneplacito contradicunt. Nam Deus à principio humanæ naturæ primitijs iusserat, non

comedere de ligno ſcientiæ, ne morerentur. Diabolus contraria, diſſerendo, docuit, ac ſuaſit, quod ſcilicet non morerentur, ſed potiùs ſcientiam, & Dei vitam in ſe haberent. Idem Deus in nouiſſimis homo factus docet, debere omnes comedere eius carnes, tanquam ad lignum ſcientiæ, & fructum vitæ eos inuitans, vt ita Dei ſcientiam, eiuſdemque vitam in ſe habeant, & abundantiùs habeant, ideſt æternam vitam habeant. Diabolus docet, ac ſuadet, multiſque perſuadet, corpus il-
Luc.c.2. lud non tangere, ne fortè moriantur, quia ſcriptum eſt in ruinam, & mortem eſſe multorum. Et in
1. Corint. c.11. iudicium, & condemnationem ſibi ſumere, qui angelica cum puritate non ſumit; & ſi quibuſdam hoc ſuadere non valet, validas applicat ſuas vires, ad ſuadendum contrarium, vt debito ſcilicet modo non ſumant, ſicque ſaltem ipſis vitæ fructum, ac Dei vitam; & Deo reuerentiam, honoremque debitum impediat. Ideo Sancti omnes attollunt vocem, & ad craterem vocant omnes, & inuitant, vt venientes diuinis carnibus, ac ſanguine ſaturentur, & viuant. Sed pariter clamant, ita quemque accedere, vt ſponſæ ornatum ferat, & veſte circundatus varietate virtutum appareat, ſicut ius, & conuenientia poſtulant, dum ad tale, tanti Regis conuiuium adeſſe debet, vt ita valeat ad vitam ipſi prodeſſe, & poſſit debitus Dei honor adeſſe.

Atque ita rem ſe habere, oſtendam, aliqua refe-

referendo ex ijs, quæ dicunt Sancti Dei homines, dum de ſacra communione loquuntur, quorum ſententias contrarij non integras afferunt, vt dicebam, ad ſuam propoſitionem probandam, ſed nihil probant, quia ad probandum, quod ipſi intendunt, oporteret, Sanctos Patres aſſeruiſſe, ſufficientem eſſe ſolam peccati lethalis carentiam (vt affirmant contrarij) ad quotidie ſacram Euchariſtiam recipiendam, nec aliam Sanctos Dei exegiſſe diſpoſitionem, vt de facto aliam omnes exigunt. Referre quæ omnes Sancti, & Doctores dicunt circa viuendi modum, & circa præparationem eorum, qui ad ſacram Synaxim debent accedere, præſertim quotidie, aut frequenter, eſſet opus nimis laborioſum, & ſatis prolixum; proferam ſolum aliquorum authoritates ex ijs præſertim, quibus contrarij pro ſua ſententia vtuntur, vt ex vngue leonem addiſcas, & cognoſcas, quam incongruè authoritatibus Sanctorum, & Conciliorum vtantur ad probandum, quod ipſi intendunt.

Citant Auguſtinum, & Ambroſium, & dicunt iſtorum, & omnium fere ſanctorum eſſe ſententiam illam. Quotidie peccas, quotidie accipe, quod tibi proſit.] Sed ex induſtria relinquunt, quod Sancti iſti immediate ſubdunt, ſcilicet; ſic viue, vt quotidie merearis accipere.] Ideſt debet eſſe talis vita tua, ſi cupis quotidie accipere hoc ſacramentum eiuſque fructu gaudere, vt ſit continuata diſpoſitio

ad illud dignè recipiendum, alioqui non tibi prodesset, vt infra ostendemus. Qui enim pie viuunt; dicit Bernardus, ex Augustino, scribendo ad sororem; consequentur præmium, seu fructum huius sacramenti, nempe dona in hac vita pro pignore æternæ vitæ; quam recipient in alia vita: his verbis. Audi sponsa Christi verba Beati Augustini. Qui ad istud altare casto corpore, & mundo corde, cum pura conscientia, atque deuota mente ad communionem venit, ad illud altare, quod est in cœlis, ante oculos Domini felici transmigratione perueniet.]

S. Bernar. serm. 28. ad sororē de comm.

Eodem modo loquuntur simul cum Augustino, & Ambrosio alij Sancti, nam vel eodem loco, vbi sententiam dicunt, vel ab eo non longe, aut alibi de digna ad tantum Sacramentum dispositione; quam tunc ibi supponunt; loquuti sunt. Sed audiamus adhuc aliam Augustini doctrinam contra aduersariorum sententiam nimis claram. Nam ipsi dicunt, quod ad dignam, & fructuosam communionem sufficiens est status gratiæ, ita vt qui post peccata etiam innumera, & grauissima, si sacramento pœnitentiæ illa expiauerit, condignè ad Sacram Eucharistiam accedere possit, eamque maximo cum fructu recipere. Contra Augustinus agendo de istis, qui non cum peccatis accedunt, sed qui non diu egerunt pœnitentiam post peccata, & ad Sacram Mensam non congruè se præpararunt, sic,

super

super illa verba Pauli. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur] inquit; Ab ipsa mente poenitentis talis sententia proferatur, vt se indignum iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini, vt ad tempus per Ecclesiasticam disciplinã à Sacramento Coelestis panis separetur, indignè enim accipit, si tunc accipit, quando debet agere poenitentiam, idest quando incipit; ergo se prius iudicet, vt à se iudicatus, non iudicetur à Domino.] Nota hic vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ communionem non concedebat ijs, qui in grauia peccata inciderant, etiam postquam resipuerant, & per sacramentum poenitentiæ iam essent in gratia, nisi diu poenitentiam egissent, de quibus loquitur Augustinus, vt testatur D. Thomas, & ipse approbat in opusc. 58. cap. 16.

Hoc idem adeo clare, & terribiliter confirmat D. Cyprianus, vt terrorem legentibus incutiat, & nihilominus pro se Cyprianum aduersarij adducunt: nam loquendo de lapsis. de ijs nempe, qui in persecutione apostatauerant à fide, sed deinde, dolentes ad fidem & Ecclesiam chatolicam reuertebantur, & postulabant ad sacram communionem admitti ante expletum ab Ecclesia poenitentiæ determinatum tempus, & impatienter sustinebant ad eam quamtocius non admitti, cum iam culpam per poenitentiæ sacramentum expiassent. Emersit fratres dilectissimi; inquit Sanctus; nouum genus

cladis

cladis, & quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulum, malum fallens, & blanda pernicies, contra Euangelij vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam, temeritate laxatur incautis communicatio; irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura: non quærunt sanitatis patientiam, nec curant de satisfactione medicinam.] Et alia multa ibidem in hunc sensum proloquitur Sanctus.

Vnde dicit doctissimus, ac pijssimus noster de Aponte tom. 2. in sapientiam Salomonis cap. 16. homil. 26. disp. 9. Mentiar si non contra huiusmodi authores loquatur Sanctus iste. nam veluti prescius, ea videtur impugnare, qnæ ipsi conantur firmare. ipsi dicunt, quemlibet cuiuscumque status, post quamcumque perpetratam culpam, si poenitentiæ Sacramento iam expiauerit, ad Sacram Eucharistiam posse tute, & cum fructu animæ accedere, esseque vtilius, & consultius ita accedere, quam ob reuerentialem timorem recedere. Sicque fornicarij, adulteri, molles, masculorum concubitores, idololatræ, aut fidei desertores, & quicumque illi sint, post peccati confessionem possunt, imò debent per istos authores, ad sacram synaxim accedere.

Ad quid ergo S. Cyprianus ita acriter contra eos inuehitur, adeo vt dicat, hunc abusum peiorem esse, magisque damnosum ipsamet persecutione ty-

ranno-

rannorum, & huiusmodi malum persecutionis malum compleuisse. Et nota vt optimè aduertit de Aponte, si non contra istos authores Sanctus loquatur. ait enim, quod clades, & pernicies ista accessit ad cumulum sub misericordiæ titulum. Ita sanè ipsi dicunt, opus enim pietatis, asserunt communicantes, dum in gratia sunt, exercere, & fructum spiritualem vberrimum in animas suas per communionem recipere, sicque sub pietatis specie, sub vtilitatis spiritualis colore, omnes, volunt, quotidie ad sacram Mensam accedere. Et Sanctus affirmat, hoc esse contra Domini, & Dei legem, & temeritate quorumdam laxari incautis communicationem, periculosam dantibus, & nihil accipientibus profuturam. Ecce periculum eorum, qui hac opinione alios indifferenter ad quotidianam communionem stimulant: & nulla eorum, qui communionem, iuxta eandem opinionem, accipiunt, vtilitas.

Sed hoc quare? prosequitur Sanctus. Quia per exercitium patientiæ, & pœnitentiæ satisfactionem, se præparare ad dignam sacramenti perceptionem non curant; sed potius, vt ibidem dicit; Adhuc scelera veluti sua ructantes, & peccatorum foetores exhalantes Domini corpus inuadunt. Dicant nunc isti authores consultius esse post quæcumque peccata ad Sacram Eucharistiam accedere, si per gratiam sunt quoad culpam deleta. Cyprianus contrarium

con-

consulit, absolutè contrarium affirmat: isti ergo authores Cypriano prudentiores, ipsoque magis pij erunt; quia contrarium directe docent, contrarium dant consilium, ad contrarium faciendum omnes stimulant: saltem Cyprianum pro sua sententia non adducant.

Nec iuuat si dicant, Cyprianum loqui de ijs, qui contra fidem peccauerant, non inquam iuuat, tum quia, & ipsi de omnibus peccatoribus indiscriminatim loquuntur, quod scilicet post statum gratiæ consultius sit, ad sacram synaxim accedere; sicque etiam de eo, qui deliquit in materia fidei. tum quia Augustinus, vt supra diximus, loquitur de alijs generibus peccatorum, quando ex Ecclesiæ consuetudine Sacra Eucharistia non concedebatur, nisi post peractam multi temporis pœnitentiam, quam exomologesim vocabant, & existimabatur esse tunc apta, ac pœnitens ad Eucharistiam aptus, vt inquit S. Isidorus lib. 1. de Eccles. Offiõ. cap. 18. cum quis peccare quieuit.] Ideſt cum habitum putabatur intermisisse peccandi: tunc enim ait Sanctus, communicare non desinat. Tum denique, quia vt refert Climacus gradu 15. Quidam Sanctissimus vir affirmabat, potius hæretico, hæresi toto animo refutata, quam fornicario sacram communionem esse dandam, & hoc confirmabat ex vsu Ecclesiæ illius temporis, quæ hæreticos (sunt verba Climaci) quidem cum hæresim priorem toto

ani-

animo repudiauerint, atque anathematizauerint, ſuſcipit ad Sanctorum myſteriorum communionem, vt idoneos; eum vero, qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atque peccatum ipſum omnino introrſus deſerentem (nota ly, introrſus, quod indicat iam eſſe in gratia per internam pœnitentiam) per annos aliquos à venerandis, immaculatiſque myſterijs ex traditione Apoſtolica, ſeparari permittit.) Et hoc ita verum eſſe, inquit Enriquez, quod multi authores, vt videre eſt apud ipſum lib. 8. de Euchar. cap. 51. in præcepto olim id fuiſſe apud Eccleſiam ex dicta Apoſtolorum traditione, affirment; quod præceptum ex conſuetudine tantum nunc eſt abrogatum. Imò, vt Enriquez ibidem probat authoritate multorum conciliorum, Patrum, aliorumque authorum, ex periculo tãtum reincidentiæ in fornicationis peccatum, Patres ſoliti fuerunt huiuſmodi arcere à ſacra communione. Quinimo etiam (quod magis ſtupendum eſt) propter fucum, & ornatum capilli adulterini. Et noſtris temporibus Authores emergunt, qui non ſolum permittunt fornicarijs, ſed adulteris, maſculorum concubitoribus, & alijs perſonis paulò ante culpis peioribus infectis, pœnitentia ſolum interius peracta cum ſacramento; ſtatim mane, & quotidie accedere ad ſacratiſſimum, & puriſſimum Euchariſtiæ myſterium, & hoc dicunt eſſe conſultius, eoſque arguunt, qui contradicunt, vt parum

pios: ipsi enim sub specie pietatis hoc docent: vereor tamen, ne sit pietas degenerans, cum ex tali doctrina innumera mala, & abusus oriantur, vt aliquo modo ex dictis patet, & ex dicendis amplius patebit.

Sed Ambrosium iam supra adductum tam cito non deseramus, audiamus quid de dispositione ad Sacram Eucharistiam dicat in oratione ante missam. Quanta, inquit, cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate illud diuinum mysterium est celebrandum Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur.] Hæc concordant cum ijs, quæ supra dixerat de vita, quam tenere debent, qui ad Christi carnes manducandas sæpe accedunt. Omnes sæpe, & quotidie accedant, si ita viuunt, vt modo descripsit, cum sola autem peccati grauis carentia Sanctus numquam dixit, aliquem nec sæpe, nec vnquam Christi carnes debere sumere.

Sed age, veniamus ad alios Sanctos, quos isti authores pro sua sententia adducunt. Et quoniã Sancti Isidori paulò ante fecimus mentionem. Ecce quod ait iste Sanctus loco cit. Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato Eucharistiam quotidie accipiendam, quod quidem benè dicunt (nota sequentia verba de præparatione contra aduersarios) si hanc cum religione, & deuotione, & humilitate susci-

ſuſcipiunt, nec confidendo de iuſtitia, ſuperbię præſumptione id faciunt.] Verba huius Sancti ſunt ita clara, vt nihil vltra, & tamen non deſunt, qui conantur explicare, eaq; intelligere de ſola carentia peccati mortalis, ſed quid cum iſtis contendere, & paginas ſine fructu implere, qui in lumine non cæcutiunt, ac lumen habent intellectus paſſione non obumbratum, nouerint ex ſe diſtinguere rectum à curuo.

Sed audiamus Chryſoſtomum ſi pro nobis, vel pro aduerſarijs loquatur; nam ſuper illa verba Pauli 1. Cor. 11. Probet ſe ipſum homo,] ſic inquit. Probet autem ſe ipſum homo, non ſicut nos facimus, qui tempore moti magis accedimus, quam ſtudio animi, non enim eo ſpectamus, vt accedamus parati, & malis noſtris expiatis, & pleni compunctione, ſed in diebus feſtis, & quando omnes accedunt, ſed non ſic iuſſit Paulus, ſed vnum nouit tempus aditus, & communionis; puritatem conſcientiæ.] Et deinde explicans, quid intelligat per hanc conſcientiæ puritatem, ſubiungit: Nefas eſt enim hanc menſam tangere cum malis cupiditatibus, quando autem dico prauas cupiditates, & corporum dico cupiditates, & pecuniarum, & iræ, & odij, & acceptæ iniuriæ recordationis, & omnes vt ſemel dicam prauas; & oportet eum; qui accedit his omnibus exhauſtis, ita illud mundum tangere ſacrificium: & neque ſegniter, & miſere affectum neceſſe habere, propter diem feſtum accede-

re, neque rursus compunctum, & paratum prohiberi, propterea quod non sit dies festus (& sequitur magis clarè) dies enim festus est bonorum operum ostensio, & pietas animæ, & vita rectè instituta; & si hæc habeas, poteris semper festum agere, & semper accedere.] Quia ex eodem Chrysostomo homil. 3. in Epist. ad Ephes. Tempus non efficit dignos tanti aditu sacramenti, sed sola animi syncer-ritas, atque expurgatio, tali cum puritate accede semper, sine hac ne præsumas vnquam.]

Ideo Augustinus dixit tom. 10. serm. 28. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum.] Quia, vt bene dicit Pater Pintus non minor requiritur puritas, & præparatio, ad semel: quam ad semper cum fructu, & vtilitate animæ Sacram Eucharistiam recipiendam: sicque vitam suam, qui ea cum puritate non disponit, vt quantum est ex modo viuendi, semper mereatur accipere, nunquam merebitur; quia in instanti nemo vitam suam ita componit, vt dignus sit, & mereatur accipere ac fructum communionis percipere, sed ad summum, vt indignus non sit, & permittatur accedere: doceant authores quotidianæ communionis præparationem, quam hic docet Chrysostomus; doceant eam, quam docet homil: 60. ad populum Antiochenum: vbi dicit. Neminem cum nausea, aut resolutum debere accedere, sed omnes accensos, omnes feruentes, & excitatos]

do-

doceant eam, quam significant supracitati Sancti, & stimulent omnes, qui ita viuunt, qui ita sunt parati, vt quotidie ad Sacram Mensam accedant, & nobiscum facient, & veram pietatem exercebunt, & verè pro se Sanctorum authoritates adducent.

Nec satis est Chrysostomo ea, quæ adducta sunt, scripsisse, sed adhuc magis contra sententiam eorum, qui volunt, solam peccatorum mortalium carentiam esse sufficientem præparationem ad sacram communionem, inquit, ponderans morem illum antiquum, quando ad communionem accedentes fideles; clamabat Diaconus eos aduocans: Sancta Sanctis: Nimirum: Ac si diceret, si quis non est sanctus, non accedat, non simpliciter dicit, à peccatis mundus, sed sanctus, sanctos enim non mundatio à peccatis tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia, non enim, inquit, volo à cœno vos mundos esse, sed etiam albos esse, & pulchros.] Potest ne Sanctus Doctor magis clarè contra sententiam iam dictam loqui. Nec adhuc sufficit Chrysostomo suis verbis, quam putat necessariam dispositionem, ad sacram communionem, explicasse: sed argumento à similitudine ex Sacra Scriptura desumpta, id ipsum confirmat, ita: si enim Rex Babilonis ex captiuitate eligens iuuenes, honestos forma, & decoros facie elegit, multo magis, & nos adstantes mensæ Dan. c. 1.

re-

regali honestos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum.] Iuxta illud, quod supra dicebamus, scilicet, quod ad Sanctissimum summi Regis conuiuium necesse est animam apparere tanquam sponsam veste indutam nuptiali, circumdatam varietate virtutum.

Sed videamus si Magnus Gregorius sit pro dictis authoribus, ipsum enim pro se adducunt, cum pari tamen veritate, ac de reliquis; ponderans Sanctus Pontifex illud Regum. Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Et hæc verba intelligens de Sacramento altaris, inquit. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidie conentur; nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit; & si enim minima sint peccata, quæ congerit; paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ suauitatis: hac repletione nos euacuare Paulus insinuans, ait. Probet se ipsum homo:] Ex his verbis satis patet, debere nos non solum à peccatis grauibus, sed etiam à leuibus emundare, vt aptè, idest cum vera, & sincera fame ad sacrum cibum accedamus, atque ita nobis prosit, & eius spiritualem suauitatem gustemus. Simile quid sentit de huiusmodi peccatis Augustinus tract. 19. in Ioan. dum inquit: Peccata

1. Regum cap. 2.

etsi

etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis, dimitte nobis debita nostra.]

Et quod in sententia Gregorij notabile est, illud est, quod Sanctus Pontifex id, quod docet, deducit ex verbis Pauli: Probet se ipsum homo: adeo vt probatio hæc, per Apostolum debeat intelligi, non solum de peccatis mortalibus, sed etiam de venialibus, vt sentit, & doctissimè, ac eruditissimè probat Pater Laurentius de Aponte meæ Religionis pijssimus vir, loco supra citato contra sententiam Ioannis Sanctij, qui primus eam adinuenit, & in suis selectis disputationibus à 22. & deinceps per multas alias sequentes eandem explicauit, & probauit; sed nulla authoritas, siue argmentum potest adinueniri, quod probet totum, quod ipse intendit pròbare. Nam omnia argumenta, & authoritates probant quidem quotidianam communionem optimam esse, ac suadendam, & melius esse ex amore ad sacram communionem accedere, vt inquit D. Thomas, & omnes cum eo, quam ex timore recedere, dummodò tamen adsint conditiones requisitæ ad debitam dispositionem ex parte subiecti, vt iam ex supra allegatis authoritatibus patet, & in processu huius opusculi magis patebit. Sed dictus Sanctius intendit, aliud non requiri; vt sæpè diximus; præter solam carentiam culpæ mortalis prauique finis; ne scilicet accedat homo ad sacram

com-

communionem cum graui culpa, aut ex prauo fine, neque eo tempore, quo instat aliud præceptum, cuius adimplementum per sacram communionem impediretur: de reliquo iuxta consilium, inquit, magis sanum quisquam aget, quotidie sacram Eucharistiam recipiendo, etiamsi cum affectu ad venialia, etiamsi in ipsamet Sacramenti sumptione veniale peccatum committat. Huius authoris doctrina fons est, vnde tot libri, libelli, ac libelluli, veluti riuuli, de hac materia emanarunt; & quod peius est communi, & patria lingua, ita vt in Regnis Hispaniarum non sit vetula, inquit de Aponte, & gregarius homuncio, qui non sit de ea sufficienter instructus. Quæ verò ex hac doctrina inferuntur, quæque ipsemet author non renuit concedere, & quæ inconuenientia emerserunt, & emergere possunt cap. 8. commodiùs explicabimus, & aliquid in supra positis capitibus iam tetigimus.

Sed videamus amplius si quis alius ex authoribus, virisque sanctis (quorum numerosam turbam contrarij in suum fauorem adducunt) pro ipsis loquatur. D. Bonauentura Opusc. to. 1. de præparatione ad Missam cap. 5. sic ait. Tertio proba te ipsum ex quanta charitate, & quali feruore accedis: non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, & distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis, nam licet

non

non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, & grauem, & obnubilum, & indiſpoſitum, & ineptum ad celebrandum: ideo caue, ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconſideratus, quia indigne ſumis, ſi non accedis reuerenter, & circumſpectè, & conſideratè.] Duo hic nota, primum quanta requirit S. Doctor præter carentiam peccatorum grauium, vt digne ad ſacrum altare quis accedat: ſecundum, quod ſi ea, quæ ad præparationem, vt neceſſaria ipſe enumerat, deſunt, qui ita accedit, indignè ſumit Chriſti corpus, non quod, qui ita ſumit, tunc grauiter peccet, talis enim non eſt mens Bonauenturæ, ſed eo modo, quo ipſe infra ſe explicat, & nos ſupra diximus, videlicet, quod Deus ob deſidiam, & negligentiam in materia tam digna, in re tam ſacra, ob defectum ſcilicet debitę reuerentiæ erga Creatorem permittet, vt cadat in fidei inconſtantiam, vel in aliud graue peccatum: perinde Sanctus proſequendo, inquit. Ideo inter vos multi imbecilles, ſcilicet per fidei inconſtantiam, & infirmi, ideſt graui peccato ſauciati.] Et nota cauſalem, Ideo, nimirum Ideo non dignè ſumitis, quia, vt iam dixi eſſe Chriſti corpus ſumendum, vos non ſumitis. Ecce quam clare Sanctus iſte loquitur contra ſententiam Sanctij, & ſequacium. Sanctius enim inquit, Conſultius eſſe, ac vtilius ad ſacram menſam accedere cum ſola carentia culpæ grauis, etiam ſi adſint venialia, in

quibus habitualiter quis reperiatur, nec virtualiter illis contradicit, aut illa curat, vt sunt homines mundani, & carnales, qui vix curant mortalia vitare, & illa emendare; qui nocte fornicantur; vt explicat de Aponte, aliaque peiora committunt, & mane confitentur, & ad sacram communionem accedunt. Ita Sanctius in disp. 23. num. 30. Sed Bonauentura affirmat quod si quis præter munditiam culpæ grauis, non accedit cum puritate leuium, cum reuerentia, cum circumspectione, cum consideratione mysterij, non solum consultius non est, ac vtilius ita accedere, sed nullo modo ita est accedendum, quia non cum vtilitate, sed cum damno animæ propriæ quis accederet, eo modo, quo nunc nuper diximus: quibus in hac re potius credendum Sanctio, eiusque sectatoribus, an Bonauenturæ, alijsque Sanctis Patribus, qui ita clarè contra Sanctij sententiam loquuntur?

Sed tam cito à doctrina huius Sancti Doctoris non discedamus, audiamus quid dicat in 4. disp. 12. p. 2. q. 2. de frequentia huius Sacramenti respectu omnium. vbi sic. Si ergo quæritur vtrum expediet frequentare alicui, dicendum, quod si videatur esse in statu Ecclesiæ primitiuæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, vtpotè frigidum, & tardum, laudandum est, quod raro: si autem medio modo, medio modo se debet habere, & aliquaodo debet cessare, vt

ad-

addiſcat reuereri, & aliquando accedere, vt inflammetur amore, quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit ſe melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes pro frequentia intelliguntur ſalua debita diſpoſitione, quæ in pauciſſimis eſt vt ſemper.] Et lib. 2. de profectu Religionis cap. 77. inquit. Quod nullus eſt tam iuſtus, & ſanctus, cui communio ex conſuetudine debeat concedi pluſquam ſemel in ſeptimana, niſi contingat aliqua magna feſtiuitas, aut ratio infirmitatis.] Neſcio, ſi alio clariori modo poterat iſte Sanctus contra aduerſariorum ſententiam, & pro noſtra loqui, non percipio qua fronte pro ſua ipſum aduerſarij adducunt, qui non ſolum contra illam clariſſimè ſuam profert, ſed etiam affirmat, rationes, quæ pro frequentia communionis adducuntur, ſemper debere intelligi, vt nos ſæpè diximus, ſalua debita præparatione, quæ ad quotidie in pauciſſimis eſſe ſolet, affirmat Sanctus Doctor. Vt etiam dixerat Angelicus Præceptor, ſcilicet propter indiſpoſitiones corporis, vel animæ, quæ in pluribus hominũ eſſe ſolent, & ea impedire, quæ ſunt neceſſaria ad dignam Euchariſtiæ receptionem; conuenientem non eſſe omnibus quotidianam huius Sacramenti perceptionem. Et Aduerſarij aſſerunt, ſemper dignam adeſſe diſpoſitionem in omnibus ad ſacram

communionem, postquam sua peccata etiam grauia per sacramentum poenitentiæ expiauerint, de quibus vt ex contextu verborum patet; Sanctus Bonauentura hic nullo modo loquitur, nec etiam D.Thomas, sed de ijs, qui iam supponuntur in gratia. Hæc sola Bonauenturæ doctrina, & authoritas sufficiens esse posset, ad sententiam, contrariorumque doctrinam reijciendam, præter aliorum sanctorum, quas ex abundantia adduximus, & adducemus, authoritates, & doctrinam.

Sed hanc clarissimam S. Bonauenturæ doctrinam conatur explicare Pater Pintus in discurs. 6. cap.3.num.16. At impossibile est solem digito occultare. Pinti expositio stat in hoc. Quod in Ecclesia primitiua; quando vigebat præceptum de quotidiana communione, omnes, etiam maximi peccatores (tunc enim, vt Pintus dicit, erant viri peccatores, & maximi peccatores) confitebantur sua peccata, & recipiebant Eucharistiam, quo fiebat, sicut ipse inquit, vt viuerent magna cum munditia, & puritate; at vero in Ecclesia finali, vbi tale præceptum de communione non extat, homines viuunt vitijs implicati taliter, vt vix possint, ab ijs semel in anno se expedire ad sacram communionem recipiendam.

Sed in primis hæc explicatio expresse contradicit Catechismo p.3.c.4.sec 61. cuius verba cap. sequenti referemus respondendo ad argumenta Sanctij,

ctij, & sectatorum eius. Deinde quam aliena sit à mente D. Bonauenturæ, facilè omnibus patebit ex ipsismet verbis Sancti Doctoris, quæ sunt de calore, & feruore charitatis, qui erat in Christianis primitiuæ Ecclesiæ, & de tepore eorum, qui in Ecclesia media, & frigiditate aliorum, qui sunt in finali Ecclesia; sicque dixit, quod qui est feruidus charitate, sollicitus, diligens, ac promptus, vt in primitiua Ecclesia potest quotidie communionem accipere; qui vero frigidus, & tardus, minime; quod idem est, ac dicere, qui amans, reuerens, ac deuotus est, vt erant fideles in primitiua Ecclesia, ad communionem accedat; qui vero tardus, idest sine deuotione, & frigidus, idest sine affectu reuerentiæ, & charitatis, vt in finali Ecclesia, non accedat. Istum esse legitimum sensum Bonauerturæ apertissime cognoscet, qui animo passionibus spoliato Sancti Doctoris perleget opera:

Patet etiam prædictum esse Bonauenturæ sensum legitimum, ex consimili doctrina S. Thomę, qui 3.p.q.80. ar.10. ad quintum eodem fere modo, ac Bonauentura, loquitur, Ibi enim hæc asserit. Secundum diuersum statum Ecclesiæ, diuersa circa hoc (idest Eucharistiæ Sacramentum) statuta emanarunt. Nam in primitiua Ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles communicarent; postmodum

dum vero diminuto fidei feruore, Fabianus Papa indulsit, vt si non frequenter, saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini; postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius Tertius, vt saltem semel in anno, scilicet in Pascha Fideles communicarent.] Ecce per D. Thomam distinctio trium statuum Ecclesiæ per feruorem charitatis, & imminutionem, ac deperditionem eiusdem, eo modo, quo dixit Bonauentura, & non quo explicat Pintus, vt suam defendat sententiam.

Sed quia Pater Pintus non potest absolutè negare, D. Bonauenturam non concessisse omnibus indiscriminatim sacram quotidie communionem, vt ex loco allegato, & alijs eiusdem Sancti Doctoris est manifestum: dicit in citato capite num. 18. Sanctum Bonauenturam fuisse ab Angelo obiurgatum, quia quotidie non offerebat Diuinum Sacrificium, indeque semper illud obtulisse, suoque exemplo docuisse quotidianam communionem, & contraria ijs, quæ scripserat, exemplo operationis suæ affirmasse.

Non recuso concedere Pinto omnia, quæ ipse vult de S. Bonauentura: quamuis vniuersaliter verum non sit, operationem confirmare, siue destruere doctrinam, alioquin non dixisset Christus Iu-
Matt. c. 23. dæis: Omnia quæcumque dixerint vobis (loquen-

do

do de ſcribis, & Phariſæis) ſeruate, & facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere. Sed ſi Bonauentura ſuo exemplo, quia quotidie offerebat ſacrificium, quotidianam docuit communionem, pariter, quia quotidie ſanctiſſimè ad ſacram communionem ſe diſponebat, docuit, & confirmauit ſuo exemplo id, quod ſcripto docuerat, modum ſcilicet, quo debet quilibet ſe diſponere, vt quotidie ad ſacram communionem accedat; & qui ita ſanctus, & diſpoſitus eſt, vt Bonauentura, debet obiurgari, ſi ob nimium timorem ad ſacram quotidie communionem non accedit, ne timor ſine cauſa amori præualeat. Si ergo à Bonauentura, qui quotidie celebrabat, ſumit Pintus argumentum pro quotidiana communione; debet pariter ſumere à præparatione eiuſdem argumentum pro conuenienti, & debita præparatione.

Sed meo videri Pater Pintus in dicta explicatione ad verba Bonauenturæ repugnantia loquitur, vel indecentia affirmat. Quo enim pacto dicere licebit, viuere cum munditia, & puritate illos, qui maximi erant peccatores, & maxima peccata committebant, qui vix in gratiam repoſiti; ſi tamen poſiti; per pœnitentiæ Sacramentum, iterum ad iniquitates redibant; hoc enim videtur ſignificare, eſſe maximos peccatores. Et è contra, viuere cum munditia, & puritate, videtur ſignificare, ita viuere, vt caſtam, & piam ducant vitam, ſicu-

ti

ti illi faciunt, qui à grauibus saltem culpis, prauisque moribus se custodiunt. Deinde indecens omnino est affirmare: vt capite præcedenti contra Sanctium notauimus; eum, qui paulò ante grauissima peccata commisit, præmissa confessione, posse statim ad sacram communionem accedere, vt necesse fuisset, dictos peccatores in primitiua Ecclesia egisse, si Pintus vera loquitur.

Sed in hac materia adhuc loquutiones aliorum audiamus, & primo Sancti Basilij, qui agendo de illa lege Leuit. cap. 21. qua Dominus, prohibebat, aliquem de semine Aaron, habentem in se maculam, accedere ad offerendum Deo dona, sic ait. Quid per maculam intelligit Moyses? exponit nempe, quod esse debeat absque vllo alieno, & superfluo in corpore membro, nec vnius alicuius membrorum suorum, vel parte tantum læsus, aut vitiatus, etiam si tantum non sit vitium, vt ab incessu impediat, dummodo saltem deformitatem inducat, aut corporis integritatem lædat. Dominus dicit, templo maior est hic: instruit nos, tanto scelestiorem, & impium magis esse eum, qui impurus Domini corpus administrare audet, at maculam, & vitium in nouo testamento non referre oportet ad corpus, sed ad iustificationes euangelicæ pietatis, quando videlicet præceptum Dei, vel non plene, vel mutile, vel non ita fit, vt Deo placere possit; & quasi tuber, & lepra humani sensus illi infigitur:

figitur:

figitur.] Si non licet cum aliqua impuritate, & macula corpus Christi alijs administrare, licebit in se illud recipere? si quis implens Dei præcepta, sed non eo perfecto modo, quo debet, quo decet, et Deo placet, quasi tubere, & lepra imperfectionum, maculosus apud Deum apparet, & ineptus accedit ad altare eius: quomodo consultius, & vtilius erit, ad sacram Eucharistiam accedere: corporis cum impuritate, & tot animæ maculis imperfectionum, ac venialium peccatorum, imo ita hoc mandatum recipiendæ sacræ communionis implere, vt in ipsamet receptione venialia committantur? impleturne hoc ita, vt Deo placere possit, vt homini prodesse valeat?

Sed demus, quod ex opere operato aliquo modo homini talis receptio Eucharistiæ prosit, vt nonnulli probabiliter putant. Quid magis ponderare debet, aliquane hominis vtilitas, an reuerentia tanto Sacramento, & Deo debita? plurisne faciendum erit commodum creaturæ, quam Creatoris honor? Et hoc certè inordinatissimum est. Adde, quod nec hominis commodum, siue vtilitas, sed potius incommodum, & graue damnum, dicto modo agere, erit: nam si Deus ad suam promissionem adimplendam, dandi scilicet gratiam per sacramentum, dum sine graui peccato recipitur, tunc eam homini recipienti communicat; deinde verò, vt eius puniat irreuerentiam, modumque indebi-

tum, quo suum corpus recepit: permittet, vt dicebat Bonauentura, quod cadat in fidei inconstantiam aut in aliud graue peccatum. Hoc idem sentit, & efficaciter probat de Aponte loco supra citato. quid ergo potius eligendum est, quid præferendum, aliquemne gratiæ gradum augere cum periculo, & hunc, & omnes alios Dei gratiæ gradus amittendi, eiusque indignationem, & animæ periculum incurrendi, an potius à sacro altari per aliquod tempus se subtrahere, vt cum debita tandem dispositione possit accedere, & reuerentiam Deo debitam præstare, atque ita vberiorem, diuturnioremque fructum recipere? Hoc secundum quicumque sanæ mentis eligeret, secundum præferendum esse, diceret, vt Sancti docent; secundum affirmaret, esse salubrius, & magis sanum consilium, non primum, vt Sanctius, eiusque sectatores affirmant. Et quia secundum, & non primum pij, & prudentes Directores sequuntur, & illud quod Sancti docuerunt, non quod Sanctius dicit; ideo quotidianam communionem indifferenter omnibus non concedunt: non enim hi negant vsum quotidianæ communionis, sed exposcunt, iuxta Sanctorum monita, & procurant, iuxta veram pietatem bonam dispositionem.

Verum, vt Sanctius, eiusque discipuli manifeste ostendant, se vnum proponere, & alterum probare, quod satis ex iam dictis patet, vt hoc magis ap-

pareat

pareat; adducunt pro ſua ſententia deuotiſſimum Thomam à Kempis lib.4. de Imitatione Chriſti: & D. Thomam 3. p.q. 80. ar. 10. Et Catechiſmum romanum, vbi agit de Euchariſtiæ ſacramento.

Quoad primum non oportet hic tranſcribere, quæ dictus author (cuius opuſculum in manibus omnium quotidie hominum piorum eſt) ſcribit loco citato de præparatione ſacienda ad ſacramentum Euchariſtiæ recipiendum: Vtinam eſſet in ſingulis diſpoſitio, ſecundum etiam medietatem, quam pijſſimus iſte author requirit. poſſent certè ſinguli tutiſſimè quotidie communionem accipere: ſed videant quanta ille requirit ſupra carentiam culpæ mortalis.

Quam autem præparationem ad ſacram Euchariſtiam recipiendam Catechiſmus expoſcat, iam diximus capite præcedenti, & adhuc dicemus infra: ad quid ergo eum adducunt? Si ad probandũ quod inuitet, & ſtimulet omnes ad communionis frequentiam. Iam diximus, hoc omnes præſtare, nec pius Chriſtianus eſſe poteſt, qui contrarium ſuadeat. Et ſi hoc volunt contrarij authores, contrarij non ſunt; ſed nobiſcum ſentiunt, at nos, & omnes Sancti, & Authores relati, & qui referri, & adduci poſſunt, omnes exigunt maximam præparationem, & permaximam reuerentiam, ac deuotionem, quæ aliquid ſupra ſolam carentiam culpæ mortalis ſignificant, & aliquid ſanè non leue,

aut non necessarium, sed maximè necessarium, maximique ponderis sunt, vt infra ostendemus; quam solam contrarij carentiam culpæ exigunt, & in hoc dissentimus ab eis; atque ea, quæ ipsi adducunt, non pro ipsis, sed sunt contra ipsos.

Hoc idem manifestum est de sensu D. Thomæ, cuius authoritate cap. præcedenti nostram probauimus sententiam contra aduersarios. Nam S. Doctor ita aperte loquitur; vt immorari in eius doctrina explicanda, & Sanctij expositionibus reijciendis videatur superfluum: sufficiet enim legere, quæ Sanctus Doctor dicit in citato ar. decimo ab aduersarijs adducto: vbi inquirens, vtrum liceat quotidie Eucharistiæ Sacramentum suscipere: respondet, vt diximus cap. præcedenti: Vtile esse quotidie hoc sacramentum suscipere, si absolute, & secundum se consideretur: at vero respectiuè, non esse vtile quotidie illud recipere, quia multi non sunt quotidie dispositi ob occupationes, & distractiones, & ob aliquas corporis impuritates, & ideo ar. 7. inquirendo, an pollutio nocturna impediat sumptionem huius sacramenti; respondet absolutè, impedire, vel scilicet ex necessitate, vel ex conuenientia, vt iam supra explicuimus, & Pinti expositiones reijecimus. Et cum ad hoc Sacramentum recipiendum, requirantur, vt inquit S. Doctor magna reuerentia maximaque deuotio, quæ vel minuuntur, aut tolluntur ab occupationibus, & impuritatibus, ideo

absolutè affirmat, non esse omnibus vtile, quotidie Eucharistiæ sacramentum recipere. Nescio quo alio clariori modo poterat Sanctus affirmare, non omnibus quotidie sacram communionem conuenientem esse: si Sanctus ita loquens est pro aduersarijs, vel potius contra ipsos, prudens lector iudicium ferat; simulque iudicet, si verum est, quod passiones ita cęcutire faciunt homines, alioqui prudentes, vt nesaiant quid dicant, sicque sæpissime pro se, quod contra ipsos est, adducant, vt in re de qua agimus.

Et si non aptè Sanctius, & aliqui ex eiusdem discipulis pro sua sententia Sanctum Doctorem adducunt; minus aptè eius doctrinam explicant; dum dicunt Angelicum Præceptorem in ar. 10. loqui de culpa graui, quando dicit, non esse vtile ob indispositiones Sacramentum recipere. Sed si ipsi verum dicerent, non debebat S. Doctor affirmare, non esse vtile, sed esse damnosum; quia qui cum graui culpa manducat, iudicium sibi manducat; si ergo dixit; non esse vtile, non est loquutus de culpa graui, sed de leui, de distractionibus mentis, & alijs imperfectionibus, quæ deuotionem tollunt, & debitam reuerentiam, vt ex ipsis verbis Sancti Doctoris manifestè apparet.

Multo minus apta est explicatio, de reuerentia, & deuotione, quas D. Thomas requirit, ad Sacram Eucharistiam aptè recipiendam. Asserunt enim, idem

idem esse, accedere cum summa reuerentia, & deuotione, ac sine culpa graui accedere. Ad hanc explicationem, nunc ego silebo, nihilque dicam, pro me dicat de Aponte loco supra cit. vbi contra hanc ineptissimam Sanctij explicationem, sic ait. Si hòc aliquis vnquam dixit Sanctorum, si ex communi vsu illud sic intelligitur, si cordatus quis illud reputat, loquendo, vt dico, communiter, & indiscriminatim, valeat quod dicit: at si nullus vnquam pro magna deuotione, & reuerentia, carentiam tantum peccati intellexit mortalis, si nullus Sanctorum illud protulit; quid Nouatus iste audet nouas, & putidas in Ecclesiam Dei inferre intelligentias, vt mulierculæ decipiantur peccatis oneratæ, & aliquibus vsus sacramenti fiat emolumentum, & frequentia consulatur panis Diuini, vt ex deuotione mulierculanum terrenum ipsi lucrentur. ita de Aponte. Et non incongrue hic addi posset, quod de scribis, & Pharisæis scribit S. Hieronymus; qui specie pietatis, & religionis erga Deum; ad Dei legem implendam, impietatem erga parentes, contra Dei legem docebant: persuadentes, vt inquit Sanctus, pessimis filijs, vt si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne secrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur: atque

Lib.2.comment. in c.15.Matt.

ita

ita fiebat, vt oblatio liberorum ſub occaſione templi, & Dei in Sacerdotum lucra cederet.] Ita ſane, vt de Aponte affirmat de illis Sacerdotibus, qui incongruè, ac ineptè conſulunt frequentiam cœleſtis panis, quæ in ipſorum emolumentum, non in Dei cedat honorem.

Sed adhuc de hac iam dicta Sanctij inepta explicatione vide D. Thomam ar.7.in corpore, vbi loquendo de eo, qui eſt in gratia, dicit, quod ratione pollutionis,quæ quandam in corpore fœditatem relinquit, & tollit reuerentiam debitam Sacramento, à communione abſtineri debet. Reuerentia ergo, ſiue deuotio per S. Doctorem idem non eſt cum ſtatu gratiæ, ſeù carentia culpæ mortalis, vt ſomniat Sanctius. Idem repetit S.Doctor ar.9. in corp. & ad tertium, vbi dicit, quod pueris, quamuis in gratia, non eſt miniſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum, vſque dum ſint in ætate, qua ſciant concipere, & excitare in ſe deuotionem huius Sacramenti, idemque ſæpiſſime in alijs locis ſignificat.Idem pariter habemus ex Rubrica Miſſalis n.2. præcedenti capite adducta, vbi apertè contradiſtinguitur ſtatus gratiæ à deuotione. Sed mentem Sancti Doctoris, quo ad hanc veritatem magis clarè cap.8. ex eiuſdem doctrina contra Sanctium, & ſequaces, oſtendemus, vt euidentius cognoſcatur, non minus male explicare authoritates Sanctorum quam eas pro ſua ſententia adducere.

Qua-

Quare autem S. Doctor dixit, omnibus non esse vtile quotidie Sacramentum accipere ob indispositiones corporis, & animæ, cap. 9. explicabimus, vbi ostendemus posse recipi hoc Sacramentum sine nouo peccato, & sine vllo gratiæ augmento. Sed etiam in sententia eorum, qui dicunt, vt supra significauimus, quod qui sine culpa graui est, aliquem gratiæ gradum recipit in receptione huius Sacramenti, etiam si reuerentiam, & deuotionem debitam ad sacram mensam non afferat, adhuc tamen asseritur cum S. Thoma, non esse vtile, sic cibum diuinum sumere; quia cum ex parte sumentis non adsit conueniens, & digna dispositio, maius erit ipsius detrimentum, quam sit incrementum; permittendo Deus, vt supra dicebamus ex sententia Bonauenturæ, vt cadat in fidei inconstantiam, vel aliud graue peccatum.

Hanc sententiam de cibo diuino, confirmat experientia, quæ communiter habetur de cibo humano: qui enim hunc sumit (præsertim si in substantia pollet) dum stomachum habet pituità, & rheumatibus plenum, parum cibus ille nutrit, & multum deinde nocet, quia in prauos conuersus humores, ad infirmitates, & mortem facilè disponit. ita proportionaliter, qui cibum diuinum sumit, anima imperfectionibus, distractionibus, ac dissolutionibus onerata.

Explicatam D. Thomæ sententiam sequuntur

omnes

omnes Theologi, nullo excepto, quos hic referre superuacaneum duco; videantur citati ab Enriquez, à Salazaro, à de Aponte loco sæpe citato, videatur Eminentissimus, & doctissimus de Lugo disp. 17. sec. 1. & sequentibus de Eucharistia, ibi enim expresse affirmat, esse sententiam communem omnium Patrum, & scholasticorum. Solum hic vnius verba transcribam, vt ita eo, quo possum, honore magistri mei viri doctissimi, ac pijssimi nostri Raphaelis Auersæ doctrinam exponam. Hic enim author agendo de suscipientibus Eucharistiam quæst. 8. postquam sec. 3. retulit sententiam D. Thomæ, & aliquorum, qui commendant quotidianam communionem, quando adsunt debitæ dispositiones, subiungit hæc verba pro sua sententia.

Sed ex alia parte de mente eiusdem S. Thomæ, & aliorum Doctorum consensu, quia ordinariè in communitate hominum pleraque solent impedimenta occurrere, & quia prospiciendum est huius sacramenti dignitati, & reuerentiæ, ac etiam sumentium vtilitati, quæ ex maiori desiderio non parum potest excrescere, ideo quotidiana communio regulariter non consulitur, nisi quod pijs, & deuotis Sacerdotibus quotidie celebrare laudatur, alijs vero frequentia huius sacramenti magnopere commendatur, non solum ex doctrina Sanctorum, sed ex Concilio ipso Tridentino sess. 23. cap. 8. & sess. 22. cap. 6. quæ pro qualitate personarum, & de consilio

prudentis confessarij regulanda est. Ita Auersa.

Ex hac candida doctrina viri satis docti, & pij, sine obumbratione passionum loquentis, multa contra aduersarios notari possunt. Auersa dicit; Quod ex mente S. Thomæ, & aliorum authorum consensu regulariter quotidiana communio non consulitur. Sanctius cum suis asserit, quotidianam communionem omnibus indiscriminatim dandam esse, & hoc esse, de mente D. Thoma, & aliorum authorum. Addit iste, ea, quæ nos ponimus, impedimenta, vt distractiones, & alia similia nihil obstare, si non obstat culpa mortalis.

Et Auersa ex mente D. Thomæ, & aliorum Authorum affirmat, multa impedimenta esse obstaculum, præter culpam mortalem, ne omnibus quotidie sacra communio concedatur. Insuper iste dicit, ex dilatione temporis crescere desiderium sacræ communionis, quo fit, vt ita fructus, & vtilitas animæ magis crescat, quam ex quotidiana communione sine tali dispositione haberetur; & quod hic dicit Auersa, illud est quod dixerat D. Bonauentura in 4. disp. 12. par. 2. quæst. 2. scilicet, Quod maiorem efficaciam recipit homo in vna missa, vel manducatione cum bona dispositione, quam in multis, si non se præparat diligenter.] Ideo dixit Augustinus. Panis hic interioris hominis esuriem desiderat.] Per dignam nempe præparationem ex desiderio, & amore, vt ita fructum manducanti

co-

copiosum communicet. Quia hoc cibo spiritualiter non satiantur, ait Gregorius super 1. Reg. 1. nisi famelici, qui à vitijs perfectè ieiunantes, diuina sacramenta percipiant in plenitudine virtutis.] Et Sanctius cum sua turba dicit: exturbantem à communione eum, qui sine culpa lethali est, & si cum desidia, & mille imperfectionibus sit, maxima vtilitate priuare. Auersa dicit, & hoc sumit ex D. Thoma, & ex consensu authorum; Sacram communionem regulandam esse circa maiorem, vel minorem frequentiam, ex prudentis confessarij consilio, diligenter considerata personarum conditione, ac dispositione. Et contrarij affirmant, omnibus, & singulis quotidie conuenientem esse sacram communionem, nec Confessarij, aut Directoris consilium circa communionem esse attendendum: imò istos; si impedire volunt, aut concedere nolunt communionem ijs quotidianam, quos putant non sufficienter ad talem frequentiam dispositos; dicunt imprudenter, & indiscretè (parum distant à dicendo expresse impiè) operari, quia iniustitiæ notam iam eis inurunt, dum asserunt, quod tales Directores, siue Confessarij Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, Matth. 23. digito autem suo nolunt ea mouere.] Et illud aliud Dauid eisdem appropriant: Mendaces filij homi- Psal. 61. num in stateris. Sed quia velamen est super oculos istorum authorum, ideo mentis consideratione, ne-

que ea inspiciunt, quæ Sacramenti reuerentiæ conueniunt, neque ea, quæ ad veram vtilitatem recipientium spectant, neque quod prudentes Directores hæc pensare debent, neque quod D. Thomas, & alij Sancti Patres Doctores, & ipsamet Ecclesia in Rubrica Missalis supra citata, hæc attendentes; dixerunt: frequentiam maiorem, vel minorem, siue determinationem recipiendi hoc sacramentum remittendam esse Directoribus, & Confessarijs, qui rectius iudicabunt in causa alterius, quam vnusquisque in sua propria: neque quod si aliquibus frequentiam Sacramenti Directores non concedunt, id faciunt, vt aucto desiderio, ac dispositione, maiori deinde cum fructu ad sacram communionem exponant.

Sed hic occurrit Pintus ex discur. 4. cap. 9. n. 11. dicens: Quia vnus magis meretur in vna orationis hora, quam alter in duabus, non debet iste hac ratione desistere ab oratione, quia non tantum scilicet meretur, quantum alter; nec suaderi debet, vt desistat; Ita pariter in casu nostro de communione.

Sed hoc, quod dicit Pintus, neque paritatem vllam habet cum re de qua loquimur; nec si aliquam haberet, benè adduceretur. Non bene adduceretur, quia loquimur de eadem persona, quæ ex maiori commoditate per dilationem temporis melius se disponit, sicque vberiorem fructum recipit:

ita

ita pariter, si quis rarò magis paratus orando, maius meritum, & vtilitatem haberet in vna orationis hora, quam in duabus, deberet persuaderi, vt minus frequenter, & magis paratus ad orationem accederet. Deinde nulla adest paritas; quia oratio, vt infra significabimus, est medium primum ad obtinenda alia media, in ordine ad vltimum finem, sic non requirit aliam dispositionem ante se, quantum est ex natura sua, quia per ipsam omnia petimus, quibus indigemus: at receptio Eucharistiæ de se requirit dispositionem, ad suos effectus producendos, vt prosequendo hanc materiam, sæpè ostendemus.

Ex dictis in hoc capite vnusquisque facilè iudicabit, quam malè contrarij Authores suam probent sententiam Patrum, & Doctorum authoritatibus; dum aliquid de doctrina eorumdem adducunt, in quo omnes conuenimus, & nulla est, aut esse potest inter Christi cultores controuersia, idest, quod prębeant consilium, debere omnes sacram communionem accipere; stimulentque omnes, ad eam frequentandam. Sed aliam partem, in qua de dispositione necessaria ad dignè accedendum, per sanctam scilicet præparationem, ad dignam communionem faciendam, tanta expressione loquuntur; ipsi omnino prætermittunt, vel incongruè, & sine apparentia veritatis exponunt. Et quod pessimum est, ita his temporibus aliquibus in Regnis hoc malum

lum inualuit: vt nonnulli Sanctij sequaces pactionem faciant cum Concionatoribus, vt dum concionando hortantur ad quotidianam communionem, nullam prorsus mentionem faciant de dispositione, præter eam, quæ consistit in carentia culpæ lethalis, & doceant populum, consultius esse, atque vtilius cum tali sola carentia ad sacram communionem accedere, quam ab ea recedere.

Ergone Sancti viri in vanum laborauerunt? frustra docuerunt qua reuerentia, qua humilitate, qua deuotione, qua puritate debent omnes ad hoc Sacramentum accedere? Nihil prorsus dixerunt, quia quod ipsi docuerunt, neque necessarium, neque consultius est. Iam venit in mundum, qui munditiam non aliam in anima, quam materialium quarumdam, crassarumque impuritatum requirat, ad purissimum Eucharistiæ Sacramentum recipiendum: qui non plus temporis impendere necessarium esse, doceat ad se quisque bene disponendum, vt diuinissimum Christi corpus recipiat, quam vnius poenitentiæ quadrantis, vel dimidij, vel fortasse minoris, quamuis paulò ante bestialitatis immunditias perpetrasset. Iam venit, qui laborem pene omnem ab exercitio virtutum tollat, & ex solo perinde opere operato homines ad Cęlum attollat: & ideo fortasse eius sequaces student silentio tegere, quæ ad Eucharistiæ receptionem, vt necessaria Sancti scripsere, nec de ijs

per-

permittunt Concionatores loqui, vt ſicut paruuli, homines non diſcurrant, ſiue vt paruuli minimè, aut vix operentur. Sed animaduertant, ne dum cupiunt ſine labore accedere ad Deum, & in Cœlum aſcendere, ibique ſtatuere ſolium; inde detrahat eos Deus; Iſai. c. 14. quia quaſi de induſtria recedunt ab eo; & deſcendant in Infernum viuentes: Iob. c. 34. Oportet meminiſſe eius, Pſalm. 54. quod magnus Gregorius ait hom. 37. in Euang. Ad Magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores.] magna ergo Euchariſtiæ præmia non accquiremus, niſi per labores magnæ præparationis.

Sed concedamus Sanctio, eiuſque ſequacibus non requiri ex neceſſitate maiorem illam diſpoſitionem, quam ſupra carentiam culpæ lethalis viri Sancti expoſcunt ad ſacram communionem; ſaltem ex conſilio illam requirunt. Quid enim aliud ſignificat D. Thomas ar. 7. dum dicit pollutionem nocturnam (& loquitur de non culpabili, vel ſi aliquo modo culpabili, iam culpa deleta per pœnitentiam, vt ibi reſpondendo ad quartum) impedire communionem ex congruentia: quid enim dicit, ly, ex congruentia, niſi ex conſilio: & hoc idem expreſsè habet Sanctus Doctor in 4. diſt. 12. q. 30. ar. 1. quæſtiunc. 2 & ar. 2. quæſtiunc. 3. Quid ad minus Sanctus Iſidorus ſupra citatus ſignificat, dum poſt multa ſubdit. Coniugatis autem abſtinendum eſt à coitu, pluribus diebus orationi

de-

debent vacare, & sic deinde est ad Christi corpus accedere.] Et postquam exemplis hoc idem Sanctus vir confirmauerat, addidit. Quapropter eligendi sunt aliquot dies, quibus prius homo continentius viuat, quoad sanctum Sacramentum dignus accedere possit.] Quid Hieronymus super Matth. præcedenti capite adductus? Quid Bernardus, cuius verba infra allegabimus cap 8. in fine, vbi videri possunt? Et potest quisque considerare, quam strictè, quàm exactè loquatur Sanctus iste, de puritate necessaria ad sacram Eucharistiam recipiendam, quam affirmat ex præcepto esse Spiritus Sancti necessariam. Isti igitur, & alij plures ad minus (quamuis plus velint) ex consilio volunt in casibus positis, licet pollutiones culpabiles non sint, esse à sacra communione abstinendum. Et ecce plusquam Sancti isti, quam omnes cordati, & pij Doctores Sanctius, eiusque sequaces; dum asserunt, consultiùs esse, quod ipsi sentiunt, quam quod Sancti dicunt: ecce ipsi prudentiores sunt, quam illi fuerunt; & pietatem ipsos multo magis oportet fateri, erga proximos exercere, quam viri Sancti vnquam excogitarunt, isti enim negarunt refectionem spiritualem sacræ communionis animæ, & vberem fructum eiusdem (vt Sanctius cum suis asserit) etiam ob pollutionem, quæ sine peccato est; illi vero concedunt post sacrilegam, post nefandam, post bestialem, adeout si post impurissimum sce-

lus scelestus quis confiteatur, statim accedere huiusmodi ad sacram Mensam, & consultius, & vtilius esse asserant, etiamsi præ oculis adhuc ferat sui sceleris turpitudinem, & à naribus corruptionis putor, nondum euanuerit.

Nec putet aliquis nos hic per exaggerationem huiusmodi authoribus aliquid imponere; nam omnia iam dicta ipsi vel expressè fatentur, vel ex eorum doctrina manifestè inducuntur; legatur Sanctius loco citato, & per sequentes disputationes, præsertim disput. 3. nu. 30. Et alij qui post ipsum scripsere, & eius vestigijs inhæserunt. Legatur Pintus in suo Thesauro supra citato. Ex cuius doctrina sæpè supra dicta inferuntur, vt ante notauimus, & aliquando expressè in ea aliqua habentur; vt in discursu 6. cap. 3. num. 7. Et si velit quis compendio omnia videre, quæ vsque modo dicta iam sunt, & deinceps, data opportunitate, dicentur de istorum authorum sententia, legat de Aponte in sapientiam Salomonis to 2. cap. 16. disp. 9. vbi vir iste pietate eximius, zelo honoris diuinissimi Eucharistiæ Sacramenti excandescens, in hunc modum exclamat. Deus scit, quod mallem, non esse natum, quam in hæc misera incidisse tempora, in quibus sic abiectissimè video de Domini nostri corpore, de Sacrario Sanctissimæ Trinitatis, de obiecto omnis militiæ Angelorum concipi, vt sint, qui audeant affirmare, & typis excudere, nebulo-

nibus, prostitutis, fornicarijs, & adulteris quotidie consultius illud dare, dummodò sacramentalis præmissa sit confessio: quis hoc patienter sustinebit sine imprecatione: parcat illis Deus. Ita de Aponte.

Sed huic Capiti finẽ dabit ipsiusmet Christi doctrina, cui si aduersarij fidem præstabunt, fortasse controuersiæ, & alia, quæ scatent mala, finem accipient. Refert Ludouicus Blosius in Memoriali spirit. cap. 6. Sanctam Gertrudem intellexisse à Christo Domino, quod omnes cuiuscumque status, si rectè viuunt, &, quæ debent, exercere adimplent, possunt in solemnitatibus, vel diebus à Patre spirituali ipsorum statutis, Eucharistiæ Sacramentum accipere. Et tandem per hæc formalia verba concludit. Inueniuntur autem nonnunquam inter eos (idest inter Laicos) qui habitum sæcularem gestant, aliqui tam puri, & feruentes, vel sancti, vt quotidie sacram communionem percipere possint.] Audiant à syncero arbitro, & ponderatore rerum omnium, quinam quotidie possunt ad sacram communionem accedere, qui vero minimè, & hi quando, & quomodo accedere debent, & amplius non contendant. Sed transeamus ad alia.

CA-

CAPVT IV.

Declaratur ampliùs Sententia Sanctij, & Discipulorum eius, solutione aliquarum difficultatum eorumdem.

VT magis, quid Ioannes Sanctius, eiusque Discipuli in materia sacræ communionis senserint, aperiatur: post examen, & solutionem argumenti, quod adducebant ad suam sententiam probandam ex authoritate Sanctorum, aliorumque Doctorum. Oportebit alia adducere argumenta, vel à ratione, aut vsu, siue item authoritate Pontificum, Congregationum, & Conciliorum deducta, quibus eam, quam capite præcedenti significauimus, sententiam conantur iterum probare: horum discussione, & solutione argumentorum, certè fiet, vt melius cognoscatur, quod isti authores dicunt, & clariùs videatur, quam alienum à veritate sit, quod asserunt.

Et primo Sanctius (stimulante fortasse conscientia) inquit disp. 22. nu. 15. Fateor quidem, plures esse Doctores pro contraria sententia, sed iudicet quisque si plus sit tribuendum rationi euidenti, quam illis.] At multo melius, magisque verè dixisset, si affirmasset omnes Doctores esse pro contraria

traria sententia, quia nullus præter ipsum, & aliquos nunc ex eius assectis, non magnificè sentit, & loquitur de Diuinissimo Eucharistiæ sacramento: nullus vnquam ausus est affirmare, aut scribere de sumptione eiusdem, quod ipse, & post eum discipuli eius, vt ex præcedenti capite patet.

Sed videamus, quæ sit ratio euidens, & manifesta, quæ tot Sanctos viros, tot doctissimos authores, tot intellectus eleuatissimos semper latuit, & patuit Sanctio, estque manifesta eius sequacibus, alijs vero non item. Hanc dicit esse, quia melius est accedere ad hoc sacramentum ex amore, quam recedere ex timore, quia amor in sacra scriptura præfertur timori. Sed hanc rationem ponit Diuus Thomas cum Augustino, vt videre est 3.p. qu.80. ar.10. ad 3. Vnde & ipse Sanctius eam sumpsit, & nos præcedenti capite de eadem aliquid diximus. Ergo istis Sanctis hæc ratio non fuit obscura, nec abscondita, sed manifesta, & clara; at eo modo, quo eam adducit Sanctius id est de solo amore habituali, & istis, & alijs fuit; & est nimis obscura, imò ratio non est, quia quod ipse intendit non probat, bene tamen illo modo, quo dicti Sancti Doctores ea vtuntur; Nam de ijs, qui parati sunt ex habituali, & actuali amore, & reuerentia filiali ad sacram Eucharistiam; sentiendum est, melius esse ex amore, & spe ad illam accedere, quam ex timore, & humilitate recedere; quia amor alijs vir-

tutibus

tutibus præfertur, & magis ad amorem, quam ad alias virtutes Scriptura nos prouocat.

Et quod ista ratio intelligi non possit in sensu contrariorum; non solum est manifestum ex loquutione S. Augustini, & D. Thomæ loco cit. vt legenti patebit; sed etiam ex dictis cap. præcedenti per sententiam tot virorum Sanctorum. Quod deinde, qui quotidie, vel sæpè grauiter peccant, & maximè in crapula, & impuritate, etiamsi per sacramentum pœnitentiæ acquirant gratiæ, & charitatis habitum, tamen charitatis actum vix, aut nullatenus habebunt, qui, vt diximus, est necessarius, vt aptè se quisque disponat ad tantum Sacramentum recipiendum, & eius fructus percipiendos. Experientia est huius rei efficax probatio; experimur namque huiusmodi homines esse obnubilos, tardos, & pene inhabiles ad exercitium actuum virtutum. Nec mirum, quia desideria qui sæpe carnis perficiunt, desiderare, ac exercere, quæ sunt spiritus haud possunt; cum ex Apostolo, Caro concupiscat aduersus spiritum, & ita potenter in istis spiritui aduersetur, vt neque, si velint, valeant ea implere, quæ sunt spiritus, sed ad ea semper trahuntur, quæ carnis sunt, vt desideria carnis perficiant. Hoc specialiter de impuritatis, & crapulæ peccatis testimonio probatur Leonis Papæ, & Climaci: nam ille serm. 8. de ieiunio 11. mensis ait. Quotidiano experimento probatur, potus satietate aciem mentis

tis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari.] Climacus vero gradu 15. post multos prauos effectus, quos enumerat, & asserit spiritum fornicationis relinquere in subiecto; tandem his verbis finem imponit. In ipsa nefariæ actionis consummatione, infoelicem hominem mentis inopem, & totius rationis expertem facit. Sunt enim peccata, quæ quamuis per attritionem cum confessione sacramentali deleantur, debilitant ita partem rationalem, vt excitari ad actus, reuerentiæ, deuotionis, & amoris vix, vt dicebam, aut nullatenus valeat, quia dum mala valetudine in istis corpus tabescit, tabescere facit & animam. Imò hanc, vt cap. præcedenti ex D. Bonauentura audistis, etiam venialia per otium, & negligentiam multiplicata reddunt grauem, torpidam, & obnubilam, itaut exercere bonas operationes non valeat. Ex Sanctis autem Thoma, & Augustino non laudatur magis ille, qui sumit cum habitu charitatis, sed qui post habitum, actum exercet, ab amore filiationis excitatus ad actus timoris, & humilitatis, vel amoris, & spei. Si hoc modo ratio intelligatur, & nunc est euidens, & ita semper fuit apud pios, & cordatos; & ideo hi omnes exigunt, vt præcedenti cap. dictum est, magnam deuotionem, & reuerentiam ex filiali amore, & spe, quibus melius, & consultius est ad hoc Sacramentum accedere, quam ex timore, & humilitate ab eo recedere.

Sed

Sed veniamus ad alias rationes, quas dicti authores adducunt pro sua sententia. Vsum primitiuæ Ecclesiæ pro ipsis stare dicunt, maxime fundatum, non solum in canone, & traditione apostolica, sed etiam in illis Christi verbis Lucæ 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.] In quorum expositione Augustinus serm. 28. de verbis Domini; dicit. Si quotidie accipis hoc sacramentum, quotidie tibi est hodie, tibi quotidie Christus resurgit; hodie enim est, quando Christus resurgit.]

Confirmant totum hoc Anacleti Papæ decreto, quo statuit, vt peracta consecratione, omnes communicarent. Similiter decreto quodam sacræ Congregationis super Concilio, condemnatorio (vt ipsi dicunt) cuiusdam Episcopi determinantis dies quosdam hebdomadæ ad sacram communionem recipiendam. Ex his omnibus deducunt, vsum quotidianæ communionis, non solum fuisse commendatum, sed etiam mandatum. Et hoc præceptum quotidianæ communionis, significat Pater Pintus, descendere aliquo modo ab ipsomet Christo. Sed quia de ijs, quæ iste author in hac re dicit, nos agemus infra, ideo hic supersedendum à relatione, & reiectione eius doctrinæ.

Sed argumenta iam adducta contrariorum, & alia omnia, quæ adduci possunt (quorum infra nonnulla præcipua proponemus) vna eademque infirmitate laborant, vt ex eorum explicatione, & so-

lutione

lutione patebit. Quis vnquam negauit, aut quis negat vsum quotidianæ communionis ijs, qui sunt quotidie aptè dispositi: sed nunc contentio est de dispositione requisita ad sacram communionem, quam ipsi dicunt esse solam carentiam culpę mortalis, alij hoc negant, vt nos infra expresse negabimus, & vltra hactenus dicta, alia adducemus, quibus ostendemus magis, quæ dispositio erit necessaria ad fructum ex sacra communione percipiendum: & quia necessaria dispositio in omnibus regulariter, vt inquit D. Thomas, ad quotidianam communionem non reperitur; ideo practicè loquendo, negamus cum S. Doctore, communionem esse omnibus quotidie conuenientem.

Ex vsu antiquo, & ex allegatis authoritatibus ad summum probatur, posse homines, imò conuenientissimum esse, quotidie ad sacram synaxim accedere: at vero quonam modo ex ijs probent dicti authores, talem accessum fieri posse quotidie cum sola dispositione illa, quam ipsi dicunt, non apparet, cum hoc nullus dixerit, & Patres omnes contrarium dicant, vt iam ostendimus. Et ex authoritate Conciliorum, & omnium fere authorum contrarium, prosequendo hanc materiam, deduci ostendemus.

Sed veniamus modo speciatim ad ea, quæ adducunt aduersarij. Quod vsus huius sacramenti in principio Ecclesiæ fuerit frequens, aut quotidianus

est sententia D. Thomæ q.80. ar.10. ad 5. Imò authores communiter asserunt, illum fuisse tunc in præcepto, vt videtur etiam significare idem Diuus Thomas loco citato. Verum hoc non est ita intelligendum, vt tunc omnes, nullo excepto, Eucharistiam quotidie reciperent, sed solum illi, qui licitè impediti non erant, nec in pœnam alicuius delicti sacra Mensa ad tempus priuati. Totum hoc colligitur, tum ex puritate, quam Patres, & Concilia antiqua requirebant in ijs, qui sacram Eucharistiam accepturi erant (de Concilijs nos infra aliquid notabimus,) & quamuis tunc, qui vxores habebant, satis modestè, & discretè se haberent in vsu matrimonij, nihilominus adhuc debebant demane à sacra Mensa abstinere cum vsum maritalem in nocte habuissent; nec vllo modo apparet credibile, inquit Auila to. 1. par. 3. suorum operum tract. 23. Quod coniugati in primitiua Ecclesia etiam post copulam accederent ad Eucharistiam, cum ex decretis illius temporis constet, quam serio ab Eucharistia omnes remouerentur postquamcumque copulam. Sed huic Auilæ doctrinæ plus quam veræ contradicit Pintus, vt mox dicemus.

Tum etiam colligitur ex facultate, quam Concilia dabant Confessarijs, priuandi fornicarios, aut voluntariè pollutos sacra communione, quod à principio fuisse in præcepto, testatur Concilium

M Car-

Carthag. tertium, cap. 31. & quartum cap. 76. & 77. Et habetur cap. Sufficit, & cap. Quamuis de poenitentia dist. 2. Concilium pariter Leodic. cap. 2. Turon. sub Carolo cap. 22. vt expressè affirmat Enriq. lib. 8. de Euchar. cap. 41. Quod præceptum consuetudine tantum opposita est abrogatum; imò vt ipse pluribus authoritatibus probat, ex periculo tantum reincidentię in fornicationis peccatum volebant Patres huiusmodi à communione arceri.

Tum pariter colligitur ex vsu illo antiquo, quando ante sacram communionem Diaconus clamabat: Sancta sanctis: nimirum, vt diximus ex Chrysostomo capite præcedenti; Non accedat, qui Sanctus, & virtutibus instructus non est. Igitur præceptum illud primitiuæ Ecclesiæ de communione erat potius de frequenti pro omnibus, quam de quotidiana, & hoc secundo modo pro ijs tantum, qui impediti non erant, & parari reperiebantur; quod deinde præceptum processu temporis, deficiente in Christianis feruore fidei, inquit D. Thom. loco citato, pariter defecit: & Fabianus Papa indulsit, vt si non frequenter, saltem ter in anno omnes communicarent, in Pascha scilicet, Pentecoste, & Natali Domini.

Sed vtinam essent modo fidei Sectatores, vt in principio nascentis Ecclesiæ, quando omnes Christi cultores erant Dei, & proximi feruentes amatores, de quibus audi Catechismum par. 2. c. 4. sect. 61; vbi

vbi sic. Qui tunc fidem Christianam profitebantur, vera, & sincera charitate ita ardebant, vt cum sine intermissione orationibus, & alijs pietatis officijs vacarent, quotidie ad sacra Dominici corporis sumenda mysteria parati inueniebantur.] Hoc faciant modo omnes, ita parati inueniantur modo, vt tunc (quæ præparatio non indicat certè solam carentiam culpæ lethalis,) & accedant omnes ad sacram Eucharistiam, nec vllus eos prohibebit; & non torpidi, frigidi, & in fide vix stabiles, & tales, vt dum deglutiunt Deum, mereantur, quod Deus euomat eos. Hos certè à sacris mysterijs arcere, & prudentiam exerce, & pietatem erit. Apoc.c.3.

Erat etiam & alia ratio frequentissimæ, aut quotidianæ communionis in primis illis Christianis, ob quam poterat, & debebat tunc illis sacra communio concedi, quibus nunc ex conuenientia debet negari: Occasio scilicet Martyrij ob sæuissimam tyrannorum persequutionem: qua etiam ratione fidelibus tunc facultas fiebat; vt Dominicus Macri affirmat in Notitia vocabulorum, & rituum Ecclesiæ pluribus antiquorum Patrum authoritatibus; ferendi secum ad proprias domos sacram Eucharistiam, vt si ante communionem in Ecclesia, ad mortem quisquam fidelium raperetur, posset sacram Eucharistiam sumere; atque ita tunc, sicut quotidie hoc sacramento in se ipso, iuxta sententiam Cyrilli Alexandrini, pietatem corroborare, Lib.4.in Ioan.c.9.

& omnes animi perturbationes extinguere.] Sicque ad pugnandum pro fide contra persecutores posset aptior inueniri. Quia in sententia Cypriani; Non est idoneus ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, quia mens deficit, quam recepta Eucharistia, non erigit, & accendit.] Sed hac digne accepta, adeo isto amoris igne, charitatis ardor in singulis fidelibus excrescebat, vt ab illa Cœlesti Mensa recederent, sicut affirmat Chrysostomus; Tamquam Leones ignem spirantes, facti Diabolo terribiles.] Atque ita hoc modo redderentur etiam tyrannis terribiles, nec eorum nimiam crudelitatem pertimescerent, sed potius sua fortitudine timorem incuterent, fidem in se ipsis illibatam seruarent, & in alijs, vel firmarent, vel seminarent.

Epist. 54.

Hom. 6. ad Populum Antioch.

Hoc modo iam explicato debet intelligi illa consuetudo, illudque antiquum præceptum, & non cum rigore, quo Pintus contendit, qui vult, nullo die, qui sine culpa graui est, excludi debere, aut posse à sacra communione; sed potius animari, ac veluti impelli, vt ad eam quotidie accedat. Et in discursu 6. cap. 4. agendo in specie de coniugatis, ita diuerso, imò opposito modo de istis scribit, ac alij fere omnes authores, vt admirationem in legentibus generet: & sanè si in coniugij statu ipse extitisset, dubitari posset, ad defectum suæ continentiæ excusandum ita scripsisse. Sed eo magis hac de re

cre-

crescit admiratio, quo magis crescit apud omnes, qui eum nouerunt; cognitio bonitatis, & integritatis eiusdem. Fuit enim optimus, & integerrimæ vitæ Religiosus regularis. Quare inferre necesse est; quæ iste author scripsit de coniugatis, ea solum scripsisse ratione, vt suam tenaciter defenderet propositionem, videlicet. Omnes, & singulos cuiuscumque status debere quotidie sacram communionem recipere: Nullumque aliud in hac re, siue ex conuenientia, siue ex necessitate, admittendo impedimentum, præter peccatum lethale confessione non expiatum, quod certè contra illud est, quod Sancti communiter dicunt, & Doctores docent cum D. Thoma, vt patet ex dictis.

2 Pater Pintus; ad ostendendum, posse coniuges, imò (vt ipse inquit) debere quotidie sacram communionem recipere post copulam, etiam multiplicatam, inordinatam, & ex sola delectatione cum reliquis, quæ in istis casibus contingere solent inter personas, quæ ex delectatione potius matrimonio, quam ex fine institutionis eiusdem, vtuntur; Adducit consuetudinem quotidianæ communionis in primitiua Ecclesia ex Apostolorum præcepto introductam, de qua vsque modo diximus. Item Sanctorum, atque Conciliorum præcepta, exhortationes, & consilia, quibus ad communionem quotidianam omnes cuiuscumque status, nullo excepto, stimulant, inuitant, ac moraliter cogunt; & tamen

scie-

sciebant coniuges vti matrimonio.

Confirmat ex præcepto Ecclesiæ, ne Sacerdotes græci eo die celebrent, quo vxores cognoscunt; vnde infert; cum exceptio firmet regulam in contrarium, si Sacerdotibus solum coniugatis imposuit præceptum, & non laicis, signum esse, in istis copulam non impedire communionem, vt in illis sacrificium; ad quod puritas, & dispositio maior requiritur.

Vt deinde defendat, quamcumque copulam maritalem, & alia, quæ interuenire possunt ex delectatione, non impedire sacram communionem, quin potius ad eam disponere; dicit; Omnes actus, qui inter coniuges exerceri solent, esse bonos, Sanctos, & meritorios: Quod probat, tum quia sunt actus prouenientes à sancta causa, nempe Sacramento Matrimonij. tum quia id affirmat D. Thomas pluribus in locis, & multi authores cum eo. Tum quia delectatio, quæ procedit ex actu licito, & bono, licita, & bona est, quia talis est delectatio, qualis est actus ex quo sequitur, vt inquit Arist. 10. Ethic. cap. 5.

Et tandem vt ostendat melius, & conuenientius esse, ad sacram communionem post actum maritalem accedere, quam ab ea recedere; dicit præcepta, & exhortationes de abstinendo ab actibus maritalibus, vel vt coniuges incumbant orationi ex Apostolo, vel vt sumant Eucharistiam ex sanctis viris,

dobe-

debere intelligi de ijs, qui hoc præstare possunt, non vero de ijs, qui non possunt: quia sicut non est conuenientius, nec melius eo die ab orarione abstineri, quo quis non abstinuit a sua vxore, ita neque à communione, quo quis ab vxore abstineri non valuit, aut noluit.

Est ne sensatus quisquam, qui existimare possit omnes alios authores, & Sanctos Patres, qui affirmarunt abstinendum esse ab vxoribus ante receptionem sacræ communionis, ignorasse, quæ nouit Pintus de bonitate, siue merito actus maritalis? Et si Sancti Patres, & doctores pij, tali scientia non obstante, ita seuerè loquuti sunt in hac re, vt iam vidimus, & videbimus adhuc infra; quorum doctrinam amplexa est Ecclesia vniuersalis, tum in Rubricis Missalis, tum in Catechismo Romano; signum euidens est, actum ipsum aliquo modo, vt mox dicam, bonum, & meritorium, adhuc tamen aliquid continere, quod obstat puritati, reuerentiæ, & deuotioni debitæ tanto sacramento; qua ratione imperant, siue consulunt, ne post quamcumque pollutionem ad sacram homines communionem accedant.

Et vt fundamentaliter cognoscatur, qua ratione omni tempore authores omnes inducti sunt, ad docendum, post quamcumque pollutionem, etiam maritalem, abstinendum esse à sacra communione; hæc vtique est. Quia Deus naturas rerum, nec mutat,

tat,

tat nec mutare potest, sicque facere non potest, quod pollutio, non sit pollutio, neque quod actus cum muliere non sit seminatio, & corruptio, & eiusdem speciei in genere naturæ cum actu fornicationis: hæc autem de se, & ex natura sua continent turpitudinem quandam, saltem materialem, & quasi bestialem, quæ si aliquibus circumstantijs, vel fine bono non vestiuntur, simul cum turpitudine materiali continent etiam malitiam moralem, & ita culpam, quia culpa est habere delectationem turpem, quæ sequitur ex actu turpi, vt inquit Philosophus 7. Ethic. cap. 9. & quo maior ex tali actu est delectatio, eo maior est culpa; vnde cum delectatio in re venerea sit maxima, sequitur, ex corporeis, maximum illud esse peccatum, quod stat in delectatione, quæ sequitur ex actu venereo turpi, in sua natura absolutè relicto. Matrimonium, quid facit? certè facit quod delectatio, quæ ex actu maritali sequitur, non sit culpabilis, quia fines matrimonij quasi cooperiunt, & cohonestant turpitudinem actus, itaut remaneat materialiter solummodo turpis, formaliter vero non item; imò potest formaliter esse actus bonus, & meritorius, vt si coniux habeat actum ad suscipiendam, & educandam prolem, vel ad fidem, & charitatem alteri coniugi seruandam. Et quia huiusmodi fines haberi non possunt sine contractu matrimoniali, nec copiosè haberi possunt auxilia diuinæ gratiæ ad perfectius

matri-

matrimonij fines consequendos, & onera coniugij subeunda, sine aliqua re superioris ordinis; ideo Deus post institutionem contractus matrimonialis, hunc in noua, & gratiæ lege ad rationem sacramenti subleuauit, vnde coniugibus vbertim auxilia diuinæ gratiæ proueniunt.

Cæterum etiam si actus maritalis modo dicto exercitus sit bonus formaliter, adhuc tamen materialiter turpitudinem quandam veluti bestialem continet, qua corpus fœdat, & quodammodo animam, quia talis naturæ est, vt nimis absorbeat vsum rationis, ac mentem qnodammodo opprimat, & cor ita dissipet, vt vix, aut nullatenus possit homo se colligere, ad deuotionem, & reuerentiam habendam, vt debet pro receptione diuinissimi, ac purissimi Sacramenti; qua ratione, vt supra notauimus, Diuus Thomas, & alij Sancti, ac Doctores dixerunt, non esse accedendum ad hoc sacramentum post quamcumque corporis turpitudinem ex pollutione contractam; & in doctrina Angelici Præceptoris hoc ita est certum, vt nihil vltra. Et nescio, cur Pintus in subsidium suæ sententiæ Sanctum Præceptorem adducat. Nam 1.2.ar.1.à Pinto citato respondendo ad primum argumentum, quo contrarij conabantur probare, omnem delectationem esse malam, significat actum maritalem aliquo modo, idest materialiter, & originatiuè esse malum, dicit enim ibi: Delectationes corporales, quæ

N ratio-

rationis vsum impediunt per contractionem appetitus, qui quiescit in eo, quod repugnat rationi, & ex hoc habet delectatio, quod sit moraliter mala, vel secundum quandam ligationem rationis, sicut in concubitu coniugali delectatio, quamuis sit in eo, quod conuenit rationi, tamen impedit rationis vsum propter corporalem transmutationem adiunctam.] Et licet deinde in isto articulo eximat actũ maritalem à formali malitia morali, tamen affirmat, illam habere ex causa, sic concludendo: Prouenit tamen ex quadam morali malitia; scilicet ex peccato primi parentis; nam hoc in statu innocentiæ non erat.]

Sed clarissimè Angelicus Præceptor contra sententiam Pinti loquitur 3.p.q.80.ar.7. ad secundum; vbi sic. Coitus coniugalis si sit sine peccato, puta, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem huius Sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem (& ad hoc firmandum citat verba Hieronymi super Matthæum à nobis cap.2. adducta) Prosequitur Sanctus Doctor. Sed quia, quod Hieronymus inquit secundum congruitatem, & non secundum necessitatem intelligendum est. Gregorius dicit, quod talis; idest coniux, qui ad prolem generandam, vel ad reddendum debitum actum habuit,

est

est suo iudicio relinquendus: si tamen non amor generandæ, ac procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt idem Gregorius subdit,) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.] Ecce tibi tres Doctores Sanctæ Ecclesiæ, qui omnes ex congruentia ad abstinentiam Sacramenti inclinant, etiam cum actus coniugalis ex fine bono bonus est, cum vero ex delectatione procedit, omninò à communione affirmant abstinendum, esseque prohibendos coniuges, si post huiusmodi copulam ad sacramentum præsumunt accedere. Et Pintus vult, compellendos esse accedere, etiam post copulam, & alias impuritates ex delectatione venerea habitas.

Et quamuis ipse semper de ista delectatione, tamquam de fine motiuo ad actus inter coniuges in citato capite loquatur; tamen quia hoc modo sententiam suam defendere, nescio quid impuritatis, sapiat, & res omnino incongrua appareat; ideo dicit, non tamen probat, delectationem in actibus inter coniuges esse causam impulsiuam, non finalem. Sed certè non bene dicit, quia causa impulsiua supponit finem intentum, propter quem agens mouetur ad operandum, & quia in medio, quod ad finem concludit, est aliquid, quod placet agenti, libentiùs medium assumit, qua ratione dicitur ab eo quod placet impelli, itaut operatio, quæ alioqui fieret, libentiùs fiat; sicut qui vult conseruare

ſanitatem comedit cibum, qui eam conſeruat, etiam ſi non placeat, at, ſi placet, libentius comedit; ſic ſanitas eſt finis, quam comedens intendit, & propter quam comedit, & delectatio cauſa impulſiua, quia cauſat illam facilitatem, & promptam voluntatem comedendi. At vero cum Pintus in toto citato capite ſemper dicat, quod actus inter coniuges ad hoc, vt ſint boni, ſancti, & meritorij ſufficit, ſi proueniant ex vi matrimonij, etiamſi fiant ſimpliciter ex delectatione (ad quod pariter eius probationes tendunt) dummodò poſitiuè coniuges non excludant finem principalem matrimonij; ſequitur per ipſum, id, quod explicitè, & formaliter mouet ad operandum, eſſe delectationem, quæ vt ipſe ſentit eſt bona, quia prouenit ex actu bono, atque ita non debet ipſe reijcere eam à ratione finis; & cum ſemper de ea, vt de fine loquatur, cogimur dicere, hanc ipſum pro èxplicito, ac determinato fine reuera ponere in huiuſmodi actibus. Et ſi adhuc contendit, eſſe cauſam impulſiuam, erit fortaſſe vtrumque, quod affirmare, nobis ſufficit, & illi officit, quia totum id, quod mouet, & impellit, eſt delectatio; & finis præcipuus matrimonij improprijſſimè, & ſolum negatiuè poteſt dici, quod ſit intentus, & quod moueat; in quantum coniuges non habent voluntatem poſitiuam, qua illum excludunt, de cætero nec tunc de hoc fine cogitant, nec fortaſſe ſciunt, & aliqui

affe-

affectum etiam ſimplicis complacentiæ habere ſolent, filios non generandi, vel ad laborem, vel ad expenſas, in filiorum educatione euitandas: quis igitur, non agnoſcat in tali caſu delectationem eſſe causam finalem, non cauſam impulſiuam, vel, vt dicebamus, alterutram eſſe cauſam, & finalem, ſcilicet, & impulſiuam.

Nec delectatio in iſto caſu, vt inquit Pintus, ſequitur ex opere, ſed intenditur in opere, ac præcedit, & ſubſequitur ipſum opus, quia ex delectatione, quæ inſurgit in parte concupiſcibili non repreſſa, ſequitur alia maior in opere concupiſcentiæ, ſicque per cauſam, quæ eſt ex peccato, ſequitur effectus, per D. Thomam, qui non ſolum eſt ex peccato, ſed ſæpiſſimè cum peccato. Quia per Sanctum Doctorem in 4.diſt.31. qu.2. ar.2. quem permulti authores ſequuntur: Exercere actum coniugalem propter aliquem finem, præter illos duos, nempe bonum prolis, & bonum fidei, ſemper eſt culpa venialis. Imo per Angelicum Præceptorem eſt peccatum veniale, non ſolum exercere actum maritalem ob delectationem, ob ſanitatem, & ſimilia motiua, ſed etiam propter bonum Sacramenti, ideſt in quantum hoc Sacramentum ſignificat indiſſolubilem vnionem Diuini Verbi, cum humana natura, vel Chriſti cum Eccleſia; ea ratione, quia iſte finis fuit quidem intentus à Deo in inſtitutione Sacramenti, ſed non fuit intentus, vt pro-

pter

pter eum debeat exerceri actus matrimonij:sic multo minus vt debeat haberi propter delectationem, hanc intendendo explicite, ac directe, & veluti principalem finem; peruertitur enim hoc modo ordo rationis, & vsus eiusdem plus quam par est perturbatur, quia ab operis delectatione absorbetur: nam actus coniugalis, etiam si fiat ex fine recto generandi filios, vel reddendi debitum, adhuc rationis vsum perturbat, & absorbet ob delectationem, quæ insurgit in opere; quid putandum, quando hæc, & opus antecedit, & ad opus mouet, & ea omnia quærit, quæ ipsammet delectationem fouent, ita vt & antecedat, & comitetur, & subsequatur; quis non intelligat, in tali casu hominem stupidum & veluti brutalem, ac discursu carentem reddere. hoc autem disconuenire rationi, est certissimum, & consequenter esse malum morale, & culpam.

Et non desunt magni etiam nominis authores, qui putant esse culpam, & peccatum mortale. Ita Mayron. in 4. d. 26. Hugo in cap. Origo 32. q. 4. Ostien. in summa titulo de matrimonio §. Quis sit effectus num. 23. Nonnulli item iuristæ, & probabile reputat D. Bonauentura in 4. d. 31. ar. 2. q. 3. Multi item authores sunt, qui putant, tunc saltem esse graue peccatum ex delectatione actum coniugalem habere, quando cibis calidis procuratur; quod probant ex deordinatione, perturbatione, ac veluti deperditione vsus rationis, eiusque exercitij

in

in huiusmodi opere, vt supra dictum est. Et confirmant authoritate multorum Sanctorum Patrum, qui hoc idem videntur significare, præsertim Hieronymi, & Gregorij. Nam cap. origo 34. q. 2. ex Hieronymo dicitur: Adulter est in suam vxorem amator ardentior. Et cap. Liberorum ex eodem Hieronymo. Voluptates, quæ ex meretricum captantur amplexibus, in vxore damnatæ sunt. Et cap. Vir cum propria 33. q. 4. ex Gregorio. Cum non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent etiam ipsi coniuges in sua commixtione quid defleant.]

Huiusmodi authorum sententiam, & Sanctorum authoritates non adduxi ad probandum, actum coniugalem ex delectatione esse peccatum graue, sed ad ostendendum, quam longe distet doctrina, quam contrarius sit sensus Patris Pinti in hac re, à sensu, & doctrina aliorum authorum, & Patrum, qui vel affirmant esse peccatum mortale, vel magis communiter cum D. Thoma loco citato, esse saltem veniale peccatum actum maritalem ex delectatione exercitum. Et addit Altisiodorensis lib. 4. summæ tranc. 9. q. 2. peccatum etiam esse, & graue peccatum, acceptare voluptatem consurgentem ex copula, quamuis ob alium rectum finem habita. Et Pintus dicit, & docet: Actus omnes, qui ex delectatione exerceri solent inter coniuges, esse bonos, & sanctos, ac meritorios, atque

ita disponere ad sacram communionem ; & respondet authoritati S. Hieronymi adductæ à D. Thoma in cit. ar. 7. qui asserit ; (Quod si non poterant panes propositionis comedi ab ij, qui vxores tetigerãt, multo minus panis, qui de Coelo descendit, poterit contingi, ac violari ab his, qui paulò ante amplexibus coniugalibus vacauere) Affirmando, S. Hieronymum loquutum esse de Sacerdotibus græcis, qui ex præcepto Ecclesiæ non possunt celebrare eo die, quo vxores cognoscunt. Et puritatem, quæ requirebatur, ad comedendos panes propositionis in veteri lege, quando externa munditics maximè considerabatur, non requiri modo in noua lege, quia nunc solum requiritur interna, quæ consistit in gratia, nec alia externa attendi debet.

Sed loquutiones Sanctorum, sunt ita claræ, vt nullam explicationem admittant. Et fere communiter authores intelligunt de peccato graui, non tamen extra lineam venialium, vel si extra, solum in excessu nimio, & nimis inordinato modo. Quod autem Hieronymus, & Gregorius loquantur de omnibus coniugatis, & non de solis Sacerdotibus græcis; patet, tum ex communi loquutione nullo verbo, nulla conditione, aut suppositione restricta: tum ex D. Thoma ar. 7. cit. ad 2. Vbi non loquitur de Sacerdotibus græcis, sed de coniugibus regionis Anglorum, & ibi in 2. argumento adducit authoritatem Gregorij, qua contrarij conaban-

tur

tur probare, aliquam pollutionem non impedire, ſumptionem Euchariſtiæ, quia Gregorius ait; Quod coniuges quando vtuntur matrimonio non voluptate rapti, ſed voluntate moti generandæ prolis, tunc quoad ſumptionem corporis Chriſti, ſunt ſuo iudicio relinquendi. Reſpondet Angelicus Præceptor, vt ſupra diximus, impedire in iſto caſu non ex neceſſitate, ſed ex conuenientia; at vero omnino impedire, & abſolutè prohibendos eſſe coniuges, cum delectatio dominatur in opere ex Gregorio, ad quod firmandum, adducit ibidem verba Hieronymi iam citata. Igitur S. Thomas non putat, Hieronymum loquutum eſſe de Sacerdotibus græcis, quia hæc Hieronymi authoritas non eſſet ad rem, nec quidquam pro Angelico Pręceptore probaret. Item adducendo ibi D. Thomas ex Hieronymo paritatem panis propoſitionis, & panis cœleſtis affirmat, quod nunc in noua lege, multo minus poteſt contingi, aut ſumi panis cœleſtis ob impuritatem corporis ex pollutione non culpabili, quam in lege veteri ob eandem impuritatem panis propoſitionis, qui cœleſtis panis figura erat. Igitur ex D. Thoma, ac S. Hieronymo non ſolum requiritur interna puritas per gratiam in noua lege, ſed etiam externa in materia pollutionis, vt requirebatur in lege veteri.

Sed quid multa, ex hoc vno cognoſci poteſt manifeſtè, quam inſubſiſtens ſit effugium, ſiue re-

ſponſio Pinti. Quia eo tempore, quo Hieronymus ſcripſit, Sacerdotes Greci cælibem ducebant vitam, vt de omnibus Eccleſiaſticis ex eodem Hieronymo probat Baronius in ſuis Annalibus anno 58.& anno 692. Nam Sanctus Doctor floruit anno Domini quadringenteſimo: mortuus eſt enim anno 422. nonagenario maior; Et Eccleſiaſtici Orientales receſſerunt à cælibatu anno 692. Sergio Papa cum Eccleſia Occidentali reluctante, quamuis poſtea per tolerantiam Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Verba Hieronymi tamquam teſtis oculati, qui; vt Baronius inquit: omnes regiones Orientales peragrauit; quæ ipſe adducit in vtroque ex citatis annis ſunt iſta (quibus Sanctus in nouos hæreticos inuehitur, qui non niſi vxoratos ad ordines promouebant) Pro nefas Epiſcopos ſui ſceleris, dicitur, habere conſortes, ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant diaconos, niſi prius vxores duxerint; nulli cęlibi credentes pudicitiam, imò oſtendentes quam ſanctè viuant, qui male de omnibus ſuſpicantur, & niſi prægnantes vxores viderint clericorum, infanteſque de vlnis matrum vagientes Chriſti Sacramenta non tribuunt (nota ſequentia verba) Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Aegipti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt? Hæc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens.] Ita aſſeruit Hieronymus

Hieron. in Vigilantiũ

de

de vſu; vt dicit Baronius; & traditione Eccleſiæ Catholicæ ſui temporis, præſertim verò Orientalis, quam nominat primo loco. Hieronymus igitur in ante citato loco ſuper Matth. non eſt loquutus, nec potuit loqui de Sacerdotibus Græcis, vt vult Pintus, ſed de omnibus loquutus eſt coniugibus, vt ex modo dictis eſt manifeſtum.

Ex adductis igitur nunc, & in præcedentibus capitibus rationes pro Pinti ſententia euaneſcunt, & adhuc magis ex infra dicendis nullius apparebunt ponderis. Quod verò dicit de præcepto impoſito ab Eccleſia Sacerdotibus Gręcis eſt contra ſuam, non contra noſtram ſententiam: quia ſi ipſe ſentit, & docet, Omnes fideles, & maximè Sacerdotes debere quotidie ſacram Euchariſtiam recipere ex iure, & fortaſſe præcepto diuino, debet affirmare Eccleſiæ præceptum contra Sacerdotes Græcos vim non habere; ſicuti affirmat nõ obligare præceptum ſuperioris, ne ſubditus communicet, ac ſimiliter, vt in cit. capite affirmat de coniugatis, non tenere votũ coniugum non communicandi eo die, quo actum coniugalem habent. Sed vim habeat præceptum Eccleſiæ, vt certè habet, & obliget, vt certiſſime obligat. Ex hoc ſequitur, quod Sacerdos Græcus celebrando, ob tranſgreſſionem pręcepti grauiter peccat. Hoc idem inferre licebit de ſubdito; vt infra dicemus contra iſtos authores; qui ſacram Euchariſtiam ſumit contra præceptum ſuperioris.

Deinde iam diximus in communione pares esse sacerdotes, & laicos, eandemque in vtrisque requiri puritatem, ac dispositionem, vt digne, & cum fructu communionem recipiant; & solummodo in sacerdotibus quamdam maiorem requiri ratione dignitatis, & ministerij, quæ consistit in abstinentia eorum, quæ sacerdotes ita deturpant, vt inuisos sæcularibus reddant, atque ita ab eorum ministerio isti abhorreant. Præceptum igitur dictis Sacerdotibus impositum fuit, non ex speciali puritate animæ, siue corporis, præter explicatam, in ipsis requisita, sed in poenam incontinentiæ, quia vxores, & non cęlibatum amplexi sunt, vt Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ.

Sed adhuc responsio Pinti militat contra ipsum; nam ipse affirmat; actum coniugalem non esse impurum, non esse turpem, non immundum, sed purum, sanctum, & mundum, ac insuper meritorium, etiam si exerceatur ex delectatione, ergo non deturpat, non reddit impurum, & indispositum, sed magis purum, & dispositum Sacerdotem Gręcum. Cur ergo dicit præceptum esse illis impositum, quia in eis requirit Ecclesia maiorem puritatem, & dispositionem: nam id, quod purum est, non reddit impurum; quod sanctum est non reddit indispositum. Et ecce quomodo sua responsione, etiamsi nolit, fateri cogitur veritatem, quam negabat, scilicet quemcumque actum carnalem

nalem continere impuritatem aliquam, rationem cuius anima redditur vel parum apta, vel ineptam ad puriſſimum Sacramentum recipiendum. Eccleſia igitur in pœnam, vt dicebamus, Saerdotibus Græcis illud præceptum impoſuit: ac item ne laici ſcandalizarentur ex quotidiana celebratione eorum, quos aliquando crederent ſuas vxores cognoſcere. Ex quo etiam deducitur, ſenſum omnium fidelium eſſe, neminem debere accedere ad ſacramentum altaris pollutione deturpatum; & hunc communem ſenſum ſimiliter ſequuta eſt Eccleſia in præcepti impoſitione dictis Sacerdotibus, quæ ratio non militat circa alios coniugatos, quia non ſupponuntur quotidie accipere ſacram communionem, ſicque iſtis præceptum imponere non debuit.

Ad quod tandem Pintus dicit de intelligentia præceptorum circa abſtinentiam ab actibus maritalibus pro oratione, & communione, patebit reſponſio ex dicendis, & aliquo etiam modo patet ex dictis. Nunc autem ſolummodo conſiderandum eſt, quam vim habere poſſunt tot loquutiones Sanctorum, tot ſententiæ authorum, tot authoritates Eccleſiæ, quibus commendatur, & ſuadetur puritas ab omni pollutione in receptione Euchariſtici Sacramenti, quibus etiam aliquando præcluditur aliquibus aditus, & alijs ad hoc Sacramentum ſæpe interdicitur acceſſus ob pollutiones, ſi vim non

ha-

habent rigorosi præcepti, ne polluti sacram communionem accipiant, habebunt saltem vim consilij, ne ita ad sacram communionem accedant. Quomodo ergo verum esse poterit, etiam his stantibus, consultius esse Sacramentum Eucharistiæ accipere, quam ab eo abstinere? non tenere votum de hoc sacramento non recipiendo cum turpitudine pollutionis; non valere præceptum superioris, ne subditus communionem accipiat?

Præceptum Apostolorum de quotidiana communione iam diximus, quo nam modo ab authoribus intelligitur, & explicatur, Apostoli namq; sciebant, vt inquit Pintus, coniuges vti matrimonio, sed etiam sciebant, & volebant, eos esse valde parcos, & modestos in vsu matrimonij, & eo solum vti, vt decebat, ad generandos filios, sicque quoties matrimonio non vtebantur, ad communionem cum alijs accedere; quæ communio poterat esse in istis frequentissima, & in aliquibus quotidiana, aut fere quotidiana: nec putabant Apostoli, vt videtur existimare Pintus de coniugatis, quod sicut passeres deberent in frequenti vsu matrimonij se habere. Et ea fortasse ratione frequentiam illam, quam alij suadent, vt coniuges vitent; Pater Pintus non dissuadet, quia huiusmodi frequentiæ actus bonos, & meritorios esse, putat, vt supra diximus, & vt tales commendat; quibus coniuges ad purissimum, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum

dis-

diſponi videntur, ſicque ne talem diſpoſitionem impediat, frequentiam iam dictam diſſuadere non audet, ſed potius ſua doctrina firmare conatur.

Sed redeamus ad ſolutionem difficultatum, quas iam ſupra ex aduerſarijs propoſuimus. Verba Dominicæ orationis. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.] Sunt illa, quibus debemus petere à Patre Cœleſti, vt Chriſtus nos docuit, bona tum corporalia, tum ſpiritualia; ſed ſi nos apti, & diſpoſiti conuenienter non ſumus, Deus nobis corpus ſuum non concedit, & ſi quis ineptè accedit, non illi à Deo datur, ſed Corpus Dominicum ipſe furatur, neque iſti Chriſtus per talem acceptionem reſurgit, vt dicebat Auguſtinus, quia per ſua dona, & gratiæ augmentum non aſſiſtit, atque ita qui ſic accipit, neque quotidie, neque hodie; niſi materialiter; dicendus eſt accipere, formaliter vero, qui cum fructu accipit, & hic eſt, qui dignè, ideſt bene diſpoſitus accipit; huic Deus dat libenter corpus ſuum, huic quotidie per ſua dona reſurgit, hunc erigit ac firmat, ne amplius in diuerſa mutetur. Non ita ſtultis, qui ineptè ad Dominicam Menſam apparent, incautè ad Chriſti corpus accedunt, ac imprudenter accipiunt, ſiue ſurripiunt; & deinde vt Luna mutantur, quia vix à Chriſti Menſa recedunt, & nunc ad iſta, nunc ad illa vitia accedunt. Ideo ſtatim inquit Bernardus ab iſtorum animæ domo, vt à diſciplinæ fictis Saluator effugiet: ne- Serm. 1. de Aſſumpt. B. Mariæ.

que

que aliud est, dicit Sanctus, quam fictionem exercere, si solum peccata superficie tenus radant (vt isti facere solent) non intrinsecus eradicent, si pietati, & spirituali exercitationi non vacant; quid mirum si vacans illicò erit eorum domus; relinquetur enim istorum domus deserta, dum dignam Saluatoris hospitio exhibere neglexerunt: & quamuis ipsa Saluator superficie virtutis delectatus incipiat primum apponere pedem, numquid non resiliet illicò cum indignatione? numquid non effugiet clamitans, infixus sum in limo profundi, & non est substantia? virtutis enim species, & non veritas, quàsi qualitas est non substantia. Hinc qui eiectus fuerat nequam, domum vacantem reperiens cum alijs septem nequioribus se ibi iterum habitans, iterum ad vitia, vt canem ad vomitum plus quam prius inducit, vt fiant nouissima istorum peiora prioribus.] Ita sentit, ita discurrit Bernardus.

Possunt etiam dicta verba Dominica intelligi, vt exponit S. Bonauentura; quod panis Cœlestis, quantum est ex se, quotidianus est, & omnibus vtilis, vt etiam dicebat S. Thomas ar. 10. sæpè citato: sed non ita respectu sumentium ob indispositiones, siue defectum præparationis; vnde petimus à Patre Coelesti, vt det nobis virtutem, ad hoc, vt panis ille, qui est in se, & quoad suam virtutem quotidianus, fiat etiam nobis talis ex debita dispositione;

vt

vt ſicut per corporalem cibum quotidianum, dum ſumus bene diſpoſiti, viuimus, & incrementum habemus in corpore, ita per cibum ſpiritualem, hoc idem proportionaliter acquiramus in anima. Inſuper panis iſte Cœleſtis eſt quidem quotidianus, non tamen eo modo, quo eſt terrenus, nam alioqui deberet bis in die ſumi, vt regulariter ſumitur panis terrenus, quod Eccleſia Sancta interdixit, quapropter etiam optimè diſpoſiti pluſquam ſemel in die cœleſtem panem ſumere non poſſunt. Igitur quod panis cœleſtis ſit quotidianus debet intelligi ſecundum ſe, ſecundum nos vero, iuxta proportionem diſpoſitionis.

Imo ex hac Eccleſiæ determinatione clarè contra aduerſarios infertur, non eſſe conſultius, nec vtilius, quod omnes indiſcriminatim quotidie ſacrã communionem accipiant; nam ſi ita res ſe haberet, vt ipſi dicunt, adhuc melius, & vtilius eſſet bis in die communicare, & hoc vti pane Cœleſti, ſicut vtimur terreno, vt non minorem anima vtilitatem ab illo acciperet, quam corpus ab iſto; attamen quia tanta frequẽtia ſapit quandam irreuerentiam, quando huic Sacramento reuerentia maxima debetur; ideo Eccleſia ad hanc magis attendens, vt par eſt, quam ad hominum vtilitatem, interdixit duplicem in die communionem; at nec etiam ex tali prohibitione, hominum vtilitas minuitur, quæ ex deſiderio, & maiori ad hoc Sacramentum præ-

paratione adhuc maior erit in vna, quam in duabus communionibus, vt ex dictis constat, & magis constabit ex dicendis; at vbi desiderium nullum, seu penè nullum, & non apta dispositio, non quotidiana, siue semel in die communio vtilis, sed hebdomadaria potius cum sufficienti dispositione, aut minus frequens vtilior erit. Hæc, quæ in declaratione verborum Dominicæ orationis dicta sunt, magis clara, & confirmata manebunt ex dicendis infra, maximè contra doctrinam Patris Pinti.

Pontifex Anacletus cupiebat (vt omnes pij Pastores, & Patres desiderare debent) restituere feruorem charitatis; qui in primis illis, tempore Apostolorum, fidelibus erat; nimis iam suo tempore imminutum, vt eo aptè dispositi ad sacram communionem (sicut in Ecclesiæ exordio) accederent; sed quia charitatis feruorem restituere Pontifex non potuit, nec etiam communionem, vt erat in principio nascentis Ecclesiæ, restituit, quia decretum ipsius effectum desideratum non habuit: ac deinde pro varietate temporum, & maiori semper immi- nutione charitatis, & malitiæ incremento, plura in hac re Pontificum decreta emanarunt, vt videre licet apud D. Thomam loco citato. Et hæc omnia sufficienter probant, sine dispositione, ex vi perfectæ charitatis, Eucharistiæ sacramentum recipi non debere, quia cum fructu, & animæ vtilitate non recipitur. Sed hac de re infra ex professo agemus.

Sed

Sed veniamus modo ad decretum, siue sententiam Patrum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini condemnatoriam (vt aliqui ex aduersarijs dicunt) Episcopi cuiusdam, & vt alij asserunt, quorundam Episcoporum, qui determinarunt quosdam dies, quibus tantum, & non alijs sacram communionem coniugati, & negotiatores reciperent. Vnde inferunt; ergo Sacræ Congregationis sensus est, omnes, etiam supradictos, singulis diebus debere communionem accipere. Quod omnes isti authores loquantur de eodem decreto, & determinatione Patrum Congregationis Concilij (quamuis inter se discrepent de condemnatione vnius, aut plurium Episcoporum) patet ex assignatione temporis idest anni 1587. & ab alijs circumstantijs, in quibus omnes conueniunt; & hæc eorum discrepantia potuit prouenire ex eo, quod in originali decretum, & alia, quæ in hac materia determinarunt Patres Sacræ Congregationis, non viderunt.

Vt ergo appareat, quam inualida sint argumenta, quæ huiusmodi authores pro sua sententia adducunt, & quam bene omnia pro contraria sententia faciant, necessarium duco, hic transcribere omnia, quæ in hac re, tam ex parte Episcopi, quam ex parte sacræ Congregationis acciderunt, & quæ determinata sunt. Cum ergo Episcopus Brixiensis animaduerteret in sua Ciuitate, ac Dioecesi frequentissimum, & quotidianum etiam vsum maximæ

multitudinis virorum, ac mulierum sacratissimæ communionis, quorum multi, varijs occupationibus, & distractionibus detenti, vt præsertim sunt coniugati, & negotiatores, nullum Episcopo videbantur ex tali frequentia; vt potè non bene dispositi accedentes; retrahere fructum, dum semper eodem modo imperfectos, ac magis fortasse cerneret post multum dictæ frequentiæ tempus, quam essent in principio, ideo excogitauit talem frequentiam eisdem moderari, quos ipse, vt diximus, existimabat ob distractiones, & occupationes non bene dispositos ad sacram mensam accedere, ideoque non proficere. Sed ante quam hoc statueret, consuluit Sanctissimum Papam, an liceret aliquos dies in hebdomada determinare, quibus tantum, & non alijs possent coniugati, & negotiatores communicare: Summus Pontifex huius rei determinationem, & Epistolæ eiusdem Episcopi responsionem sacræ Congregationi super Concilium Tridentinum commisit; quæ Decretum, vt par erat, laconicè fecit circa materiam quæsitam sub anno 1587. mense Ianuarij, & eodem tempore responsum Episcopo, circa quæsitum per suam Epistolam dedit, vt sequitur.

Decre-

Decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

Obſtat Concilium Tridentinum Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora, vt dies dominicos, quartam, & ſextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, etiam ob irreuerentiam, quam poteſt quotidiana huius ſacramenti ſumptio in ſua Diœceſi parere; quia antiquis temporibus, peracta conſecratione, omnes, qui aſtabant, ſumebant Eucharistiam, & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere.

Epiſtola eiuſdem Sacræ Congregationis ad Epiſcopum Brixienſem.

Reuerendiſsime Domine, conſuluit amplitudo tua Sanctiſſimum Dominum noſtrum; an laicis in Ciuitate iſta, & Diœceſi negotiatoribus, coniugatis item, qui Sacroſanctam Euchariſtiam frequentius, aut etiam quotidie ſumunt, nec tamen alios vllo inſigni in virtutibus progreſſu antecedere cernuntur, expediret, certos aliquos dies ſtatuere, quibus tantummodo communicarent. Re autem huiuſmodi ab eius Sanctitate ad ſacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini interpretum

tum delata : Illustrissimi Patres vnanimi sententia, ita censuerunt.

Et si frequens, quotidianusue huius admirandi sacramenti vsus à Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut sæpius illud percipiendi, aut ab eo abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit; sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantummodo indicauit, cum inquit. Cuperet quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immerito, multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob huiusmodi negotia spiritus alienationes: multæ contra gratiæ, & Dei dona paruulis elargita, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate; & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quo ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum, secreta cordis explorantium, iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & coniugatis, quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In coniugatis autem, hoc am-

amplius animaduertent, cum Beatus Apoſtolus nolit, eos inuicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi; eos ſerio admoneant, tanto magis, ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam, continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium epularum communionem eſſe conueniendum. In hoc igitur paſtoralis diligentia inuigilabit potiſſimum, non vt à frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur; aut ſumendi dies vniuersè conſtituantur, ſed magis quid ſingulis ſit permittendum per ſe, aut per parohos, ſeu confeſſarios determinandum putet; illudque omninò prouideat, vt nemo à ſacro conuiuio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, vt vnuſquiſque digne pro deuotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuauitatem deguſtet. Quod autem de monialibus quotidie ſacram communionem petentibus Amplitudo tua quærit; admonendæ illæ erunt, vt diebus ex earum ordinis inſtituto præſtitutis, communicent: ſi quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore ſpiritus ita incaluerint, vt dignæ quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à ſuperioribus permittatur. Proderit etiam præter parochorum, & confeſſariorum diligentiam, opera quoque concionatorum vti, & cum eis conſtitutum habere, vt

cum

cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint; statim, de magna ad illud sumendum præparatione, orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad quotidianam, aut frequentiorem salutiferi cibi sumptionem deuoto studio excitantur, debere, siue laici negotiatores sint, siue coniugati suam agnoscere infirmitatem, vt dignitate sacramenti, ac diuini iudicij formidine, discant coelestem mensam, in qua Christus sumitur, reuereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem præparationem accingere. Est autem, quod Amplitudo tua de huiusmodi in ista Ciuitate, & Dioecesi erga Sanctissimum Sacramentum deuotione gratias Deo agat, quam ipsa, adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento, alere debebit, à suoque officio pastorali sibi maximè persuadebit, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & scandali defectus in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur, quod abundè continget, si ij, qui deuoto huiusmodi studio, diuina præstante gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueuerint. Quibus, Christus Dominus, qui se fidelibus manducandum, & pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se præmium est daturus, pre-

camur,

camur, vt ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Amplitudinemque tuam, quo in hoc vnum maximè incumbere, aliaque paſtoralia munia explere poſſit, incolumem tueatur. Romæ 24. Ianuarij 1587.

Quamuis ea, quæ ſtatuta ſunt in decreto, clara ſint, clariora tamen redduntur per illa, quæ in epiſtola continentur. Sed quæſo ea aliquantulum ponderemus. Et primò patet ex decreti verbis, quod Epiſcopus non determinauerat certos dies ad ſacram communionem percipiendam, vt dicunt aduerſarij, ſed cogitabat illos determinare; & ideo dicitur in decreto: Volenti determinare.

Deinde duo in decreto dicuntur, Primum, determinare certos dies ad ſacram communionem percipiendam; eſſe contra Concilium, quod nunquam talem determinationem fecit. Secundum, licitum eſſe vnicuique quotidie ſacram communionem accipere, ſicuti antiquis temporibus, peracta conſecratione, omnes, qui aſtabant, communicabant, ideſt ſacram Euchariſtiam ſumebant. Et in primis hæc duo, quæ in decreto dicuntur, quid probant pro aduerſarijs? Certum eſt, ſingulos fidelium habere ius ſumendi ſacram Euchariſtiam, quandocumque ſunt parati: qua ratione dixit D. Thomas ar. 10. ſæpe cit. Si quis quotidie ad hoc Sacramentum ſe paratum inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat.] Quia vt paulò ante S. Do-

ctor dixerat; Vtile est ipsum (idest hoc Sacramentum) quotidie sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat, (& tandem subiungit ex Augustino) sic viue, vt quotidie merearis accipere.] Si ergo omnes habent ius, quandocumque sunt aptè dispositi ad Sacramentum hoc percipiendum, & tale ius habent ex indulto Diuino, qua ratione poterat inferior minister coarctare illud, ac liberalem Dei concessionem, fauoremque Diuinum vniuersaliter omnibus tributum; vniuersali lege omnibus in sua Dioecesi restringere, ac limitare. Quia aliqui male Dei vtuntur fauore, non sunt ij, qui bene vtuntur, priuandi: posset ad summum minister, seu Prælatus legem ferre contra eos, qui non aptè dispositi accedunt ad sacram mensam, atque ita concessione, ac Dei fauore abutuntur. Verum cum talis dispositio non sit oculis corporeis perspicua, ideo ad homines, talem legem contra Dei indulta constituere, non spectat, maximè cum in quocumque statu, & ex personis cuiuscumque conditionis reperiri possint, qui ita viuant, vt sint aptissimè dispositi ad quotidie maximo cum fructu sacram communionem percipiendam.

Quis enim negaret curiali, aut impediret, ne sacram Eucharistiam quotidie sumeret, qui vitæ institutum S. Iuonis teneret, cui negotia essent potius perpetuum amoris exercitium erga proximos, & charitatis erga Deum, & optima dispositio ad Christi

ſti corpus recipiendnm, quam cauſa diſtractionis; & indeuotionis, ſicque minus aptæ diſpoſitionis. Quis negaſſet Henrico Sanctiſſimo Imperatori, qui cum vxore Chunegunda, tamquam cum ſorore conuictum ſemper habuit; qui arma pro Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ defenſione, & non pro inani gloria, aut cupiditate perſtrinxit; cui quæ alijs tollunt attentionem, & deuotionem erga Deum, ipſi extollebant mentem in Deum, & diſponebant, vt maxima cum vtilitate in ſe reciperet ipſum Deum Quis iuſtè coniugio copulatos, ſi dignè diſpoſiti ſunt ad Chriſti corpus quotidie recipiendum, à ſacra menſa arceat; vt poſſunt facilè eſſe ſenes, qui regulariter ita viuunt, vt coniugio, ad Chriſtiana obſequia ſibi inuicem præſtanda, & non ad carnalem vſum, vtantur. Et hac ratione in Catechiſmo non præcipitur parochis, ne Sacram Euchariſtiam coniugatis miniſtrent; ſed vt eos doceant, abſtinere per dies aliquot ab exercitio maritali, antequam ad ſacram communionem accedant, quod de ijs non dici, qui tale exercitium numquam habent, quis non intelligit? Et hac ratione Concilium Tridentinum; dies aliquos ad Sacram Euchariſtiam ſumendam non determinauit: multo minus inferiores Prælati id facere debent. Vnde ſapientiſſimè, & prudentiſſimè Patres Eminentiſſimi Sacræ Congregationis dixerunt, eſſe contra Concilium, imò contra indultum, & fauorem Dei erga omnes; de-

terminare vniuersè dies, ad sacram communionem percipiendam.

Et ex his optimè sequitur, quod secundo loco dixerunt; posse scilicet quotidie omnes communicare, vt olim faciebant, qui sacrificio astabant. Sed hoc non est intelligendum, nisi eo modo, quo capite præcedenti, authoritate tot virorum Sanctorum, probauimus, & vt in Epistola Eminentissimorum Patrum ad Episcopum explicatur, vt scilicet fiat ab his, qui aptam, & dignam habent dispositionem, ad cibum diuinum quotidie recipiendum. Iudicet vir prudens, si quæ dicta sunt, probant hanc aduersariorum propositionem; videlicet. Omnes, qui non habent culpam lethalem, cuiuscumque sint gradus, & conditionis, siue distracti sint, aut imperfecti, & rebus mundanis addicti possunt quotidie Sacram Eucharistiam sumere, vel potius probent hanc aliam propositionem, quam authores communiter defendunt, & nos hic conamur probare. Non licet, siue non conuenit quotidie, aut frequenter recipere Sacram Eucharistiam, nisi ijs, qui aptè, & dignè sunt ad illam dispositi, alijs verò minime, etiam si culpa careant mortali. Nos non negamus optimum, & sanctum esse quotidie ad sacram communionem accedere, & maximæ hoc esse animæ vtilitatis, sed negamus hoc ita esse respectu eorum, qui ineptè accedunt; idest sine deuotione, sine reuerentia, sine filiali Dei timore, & amo-

amore; ſed diſtracti, imperfecti, paſſionibus agitati, venialibus onerati, & qui fœtore adhuc recentium impuritatum non ſolum Deo, ſed etiam hominibus ſunt inuiſi.

Item ſapientiſſimè Patres Eminentiſſimi affirmarunt, Epiſcopum malè excogitaſſe determinare dies, quibus tantum laici ſacra communione reficerentur; quia in re perfectiori non ſunt faciendę leges prohibitiuę pro ſtatu perſonarum, ſed ad ſummum pro aliquibus perſonis determinatis, in quibus conditiones neceſſariæ ad rem aliquam non adſunt. Sic fieri non debet lex, vt nullus ad ſtatum Sacerdotalem aſcendat; nam eſt omnibus certum, quod non valeret lex, qua præciperetur, vt nullus ſtatum religioſum aſſumeret: nullus ſtatum integritatis excoleret; quia quamuis ſtatus Religionis, & integritatis aliquibus non ſint conuenientes, & vtiles; tamen quia ex ſe huiuſmodi ſtatus ſunt perfectiores, quam oppoſiti; vt conſtat ex Tridentino ſeſs. 24. can. 10. ideo non poſſunt generatim prohiberi. Ita ſimiliter, vt dictum eſt, perfectius, & vtilius eſt ſacram Euchariſtiam accipere, quam ab ea abſtinere, quantum eſt ex parte ipſius, & abſolutè loquendo, quamuis reſpectiuè ita non ſit, ob defectus ſcilicet, & indiſpoſitiones multorum: ideo fieri non debuit lex generatim, & pro omnibus, ne aliquibus diebus ſacram communionem acciperent. Hoc enim ſimile, & quaſi idem eſſet, ac præcipere ex

tali

tali ſtatu perſonarum nullus regulare inſtitutum Religionis amplectatur, nullus cælibatum ſequatur, quæ leges certiſſimè inutiles, & vanæ eſſent. Vt fuit illa Mauritij Imperatoris; ne monachi habitum aſſumere poſſent, qui milites aliquando fuiſſent.

Sed adhuc conſideremus ea, quæ in Epiſtola continentur, ſi potius ſecundam, & noſtram propoſitionem; quam primam, & aduerſariorum probent. Et primo Eminentiſſimi Patres non negant, imò concedunt, negotia, & ſtatum coniugij regulariter diſtrahere, & alienare animam, ita vt vix valeat ea exercere, quæ ſunt neceſſaria ad ſacram Euchariſtiam recipiendam: ſed nihilominus, quia Dei gratiæ, eiuſque dona, ita poſſunt internè, etiam in negotiatoribus, & coniugatis operari, vt aptos ſe reddant, & dignè diſpoſitos, ideò iſtorum, & aliorum pariter iudicium remittendum eſſe dicunt confeſſarijs, qui interna cognoſcunt, & de apta, ſiue inepta poſſunt vniuſcuiuſque diſpoſitione iudicare, ſicque ſingulis, aut quotidie, ſiue frequenter, aut minus frequenter communionem præſcribere, iuxta maiorem, vel minorem vniuſcuiuſque puritatem, aptitudinem, & in virtute profectum: ipſiſque Confeſſarijs iniungunt, bene hæc omnia animaduertere in maioris, vel minoris frequentiæ conceſſione circa ſacram communionem, ac præſertim in coniugatis, quos volunt debere à confeſſarijs admoneri,

neri, vt cessent ab operibus carnis, antequam ad sacramentum accedant, vt ita dignè ad illud se præparent; quod multo magis præstare debent, quam vt vacent orationi, sicut requirit Apostolus; cum puriori mente ad cœlestium epularum communionem sit accedendum, quam orationi vacandum. Ex quibus clare deduces, sensum Patrum esse, non debere Confessarios permittere quotidianam coniugatis communionem, qui operibus carnis incumbunt: dum enim volunt, eos à talibus operibus abstinere, vt possint aptè, ac dignè ad sacram communionem se disponere, certè nolunt, quando non se abstinent, ad sacram eos communionem accedere. Quod quam contrarium sit sententiæ Pinti de coniugatis, supra impugnatæ, manifestè patet, & nihilominus ipse authoritatem huiusmodi Patrum pro sua sententia adducit. 1.Cor.c.4.

Insuper secundo, in hac eadem dispositione magis instando, volunt Episcopum, & Parochos, atque Confessasios operam dare, vi ita omnes disponantur ad sacram mensam, vt dignè possint in ea apparere, sicut par est, & ex his, qui putantur dispositi, iuxta maiorem, vel minorem vniuscuiusque dispositionem, permittantur crebrius, aut rarius Dominici corporis suauitatem degustare.

Tertiò instant adhuc in præparatione dignè facienda, dum monent de ea Episcopum, & proponunt quibus medijs eam consequi possit, docentque

ex his vnum esse, concionatores adhibere, qui dum populum ad frequentiam sacræ communionis accendunt, ex professo simul perfecta doceant oratione, ac instruant de magna ad sacramentum Eucharistiæ sumendum præparatione, per humilitatem, charitatem, & alias virtutes, quibus debent omnes se disponere, præsertim qui quotidie, aut frequenter illud sumere consueuerunt; & quod aliquando, si sentiunt se aliqui minus paratos, ab ea abstineant, seque ad maiorem pręparationem accingant. Quam contraria hæc planè sunt ijs, quæ nonnulli Sanctij discipuli à concionatoribus exigunt, de quibus capite præcedenti diximus, & adhuc mox dicemus.

Quarto, quod Moniales ijs diebus communicent, qui à regula sui ordinis sunt eis determinati; si quæ vero puritate mentis eniteant, & feruore spiritus ita incaluerint, vt dignæ quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à superioribus permittatur, nimirum, vt quotidie sacram recipiant Eucharistiam.

Tandem quinto admonent Episcopum, non debere vnica præcepti formula omnes determinare, seu pro omnibus certos dies statuere, quia nimirum negotium hoc, licet pendeat à multis circumstantijs, & conditionibus, quæ ex parte recipientis desiderantur ratione secramenti, vt summa reuerentia, & deuotio, ac virtutum ferè omnium exercitium; tamen quia hæc oculis corporeis non sunt perspicua,

cta, & possunt in multis adesse, eosque quotidie aptè disponere, ideo isti deterreri, & coarctari non debent per vnam formulam, & dies aliquos omnibus communes.

Quam multa ex his contra aduersarios inferuntur, quam multa pro nobis, imò omnia nostram sententiam, & propositionem supra positam, probant. Ipsi enim non aliam dispositionem præter carentiam culpæ lethalis requirunt: & Eminentissimi Patres exactissimam, & dignissimam exposcunt per exercitium virtutum, vt summæ puritatis, humilitatis, amoris, & aliarum, & hanc suam in huiusmodi præparatione voluntatem, tanta repetitione, tantisque medijs, siue argumentis insinuant, & explicant, vt nihil vltra; & quod maximè est notandum, illud est, quod de monialibus determinant: si enim istæ, quæ Deo quoad corpus, & animam dedicatæ sunt, & Christo Dei filio desponsatæ, & à rebus mundanis abalienatæ; ad hoc, vt quotidie Sacramentum Corporis Christi recipiant, debent, ex sententia dictorum Patrum, enitere magna mentis puritate, & magno spiritus feruore incalescere: existimabuntne ipsi sufficere in alijs solam culpæ lethalis carentiam ad Sacramentum hoc quotidie recipiendum? Affirmabunt posse quotidie accedere ad Christi Mysteria, qui sæpe illicitis impuritatibus dant operam; quando negant, debere eos accedere, qui à licitis non se absti-

nent? Affirmabunt quotidie licitè accedere ad Christi corpus recipiendum, qui sunt animo distracti, corpore torpidi, ac turpes, & mente non puri; quando tantam in omnibus requirunt dispositionem, vt si minus paratos se aliqui sentiant aliquando, volunt, debere tunc abstinere, & ad maiorem se præparationem accingere, ac secundum maiorem, aut minorem deuotionem tardius, crebriusque quemque Dominici corporis degustare suauitatem? & nota, quod non dicunt; non paratos; sed minus paratos, idest non cum tanta deuotione, cum tanta à rebus mundanis abstractione, cum tanta puritate, cum tanto virtutum exercitio, vt par est, vt necessarium est, ad Diuinissimum Sacramentum recipiendum, in quo, vt Patres dicunt, Christus sumitur. Et nota etiam, quod isti sunt Iudices (in sententia Pinti) ad verum sensum Concilij, & rerum fidei nobis aperiendum.

Eminentissimi Patres asserunt, iudicium, & determinationem maioris, vel minoris frequentiæ sacræ communionis committendam esse confessarijs, ac rectoribus animarum, vt iuxta singulorum hominum dispositionem, quam ipsi cognoscunt, dictam frequentiam determinent. Sanctius verò, eiusq; sequaces hoc negant, & confessarios arguunt, vt iniustos, & sicut impios iudicant, si eos, qui sine mortali culpa sunt, ad sacram mensam non sinunt accedere. Patres non concedunt claustralibus

quo-

quotidianam communionem, nisi ex obedientia superiorum. Et prædicti authores hoc non admittunt, sed superioribus in hac re subditorum obedientiam negant.

Patres Congregationis volunt, concionatores debere docere omnes, & admonere de magna præparatione per reuerentiam scilicet, deuotionem, & virtutum exercitium, qua debent ad Christi corpus sumendum accedere. Et qui Sanctium sequuntur hoc negant, & aliquibus in locis, refertur, quod pactionem faciant cum concionatoribus, vt de sumptione frequenti, & vtilitate Eucharistici Sacramenti perorent, nihil verò de præparatione loquantur: haud digna sanè concio, minus digna conuentio, in qua de sola vtilitate, soloque commodo vilissimæ creaturæ debet esse sermo, nullus verò de honore Deo debito, de reuerentia erga Creatorem.

Tandem nolunt Patres vnam esse pro omnibus formulam, & eosdem pro omnibus dies ad Sacram Eucharistiam sumendam, sed diuersam, secundum diuersam hominum dispositionem, & præparationem. Et Sanctius, eiusque discipuli volunt, vnam esse pro omnibus regulam; esse nimirum sine culpa graui; eosdem omnibus dies, idest, quotidie omnes communicent. Ecce quomodo isti authores expresè, ac directè opponuntur ijs, quæ derminata sunt à Patribus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, & tamen non verentur determina-

minationes eorumdem Patrum pro sua sententia adducere. Deduces ex his quam vana sit istorum sententia pro qua, & in cuius probatione ea ipsi adducunt, quæ eandem reprobant sententiam. Sed adhuc ad examen vocemus, si quæ alia argumenta contrarij pro sua sententia proponunt.

CAPVT V.

Quid senserint Concilia, & nonnulli Doctores de quotidiana Sacramenti Eucharistiæ sumptione:

CONCILIVM Tridentinum sess. 22. c. 6. habet hæc verba. Optaret quidem Sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret.] Ex huiusmodi Concilij verbis inferunt aduersarij, mentem illorum Patrum fuisse, quod omnes quntidie sacram sumant Eucharistiam.

Et fatendum quidem est, illos Patres hoc desiderasse, & id, quod est perfectius, exoptasse; sicuti si quis diceret; Optarem, quod omnes seruarent castitatem: hoc desiderium non dicit complementum in singulis personis, quia moraliter est impossibile, & quam-

& quamuis caſtitatis ſtatus perfectior ſit, ſtatu matrimonij, reſpectiuè tamen ad perſonas aliquas ſingulares non ita: atque ita, qui optat, quod perfectius eſt in communi, optat illud terminis habilibus, & exiſtentibus conditionibus neceſſarijs, aut conuenientibus; & hoc de deſiderio, quod habebant Patres Concilij, eſt manifeſtum; nam alioqui liceret inferre inferre, Patres deſideraſſe, vel quod fideles pluribus vicibus eodem die ſacram communionem reciperent, quod eſt prohibitum; vel quod nullus fidelium eodem die pluribus Miſſis aſſiſteret, quod non eſt prohibendum, neque deſiderandum. Ideo cum exequutio rei non ſit de facto poſſibilis in omnibus, prudentiſſimè dixerunt Patres: Optaret Sacroſancta Synodus, & non, Optat, quia obiectum deſiderij temporis imperfecti non eſt de re abſolutè poſſibili, ſed ſub conditione. Vnde cum modo charitas in fidelibus frigeat, & in illo haud ſit feruore, vt erat in Eccleſiæ exordio, quando ferè omnes, Miſſæ adſtantes, communicabant; ſicque modo ex defectu dictæ charitatis ſit impoſſibile, quod omnes, qui Miſſis aſſiſtunt, communicent, ideo dixerunt, ſe deſiderare, tales eſſe omnes (ideſt cum primo feruore charitatis) vt poſſent modo percipere vberiorem fructum Sacrificij per realem ſumptionem Diuiniſſimi Sacramenti, vt olim fideles percipiebant, non tamen actualiter id velle, quod moraliter erat, eſtque impoſſibile.

Sed

Sed adhuc audi, quod Patres ibidem subiungunt. Tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos cummunicat Sacramentaliter, vt priuatas, & illicitas, non damnat, sed probat, atque adeo commendat.] Ex istis, & sequentibus verbis eiusdem Concilij in eodem capite patet, intentionem Patrum non fuisse commendare, multo minus mandare communionis frequentiam, sed tantum occasionaliter illa priora verba protulerunt, cum solum intenderent ibi confutare, ac damnare hæresim quorundam Nouatorum, qui asserebant Missas priuatas esse inutiles, dum solus Sacerdos in ipsis communicat, quia Mensa Eucharistica est instituta à Christo Domino, vt communis, ac pro omnibus, & non pro particulari, & priuata persona. Hoc reijciunt, & damnant in illo Capite Patres Concilij; & adducunt rationes, quare Missæ illæ non sunt inutiles, nec sacrificium, seu Mensa priuata dicenda sit, etiam si sacramentaliter solus Sacerdos sacrificans communionem accipiat. Hoc adhuc magis patet ex Canone octauo; vbi Patres Concilij sequenti anathemate dictos reijciunt Hæreticos, videlicet. Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.] Igitur in citato loco Patres Concilij nõ quotidianam communionem simpliciter commendare intendunt, sed hæresim damnare.

Sed

Sed demus aduersarijs intentionem Patrum fuisse commendare frequentem, siue etiam quotidianam communionem. Quonam pacto ipsi ex dictis verbis suam sententiam probant, secundum illam partem, iu qua à cæteris dissentiunt; nimirum; Non requiri aliam dispositionem, nisi tantummodò peccati lethalis carentiam. De hac dispositione ibi Patres Concilij non loquuntur, imò saltem implicitè contrarium significare videntur; vt dicebamus, videntur enim desiderare feruorem charitatis, qui erat in primis Christianis, quo mediante, sicut tunc dignè omnes parati erant ad sacram Eucharistiam quotidie recipiendam, ita essent modo: sed quia modo non omnes ita; ideo ratione impossibilitatis, modo non optant, sed optarent: quod tunc erat in præcepto ratione facilitatis.

At aduersarij non quiescunt, sed dicunt secundam partem suæ propositionis, siue suæ sententiæ probari ex alia loquutione eorumdem Patrum Concilij sess. 13. cap. 7. vbi adducendo Patres verba Diui Pauli 1. Cor. c. 11. Probet se ipsum homo &c. videntur significare, non aliam probationem, siue præparationem, ad hoc Sacramentum dignè recipiendum, requiri, quam emundationem à peccato mortali, mediante poenitentiæ Sacramento.

Sed quam male intelligant, siue explicent aduersarij hanc Patrum Concilij, & D. Pauli scripturam

infra

infra cap. 9. patebit, vbi ex professo inquiremus, an sola carentia peccati lethalis sit sufficiens dispositio ad sacram Eucharistiam cum fructu percipiendam. Hìc solum dicam non deesse authores, qui Patrum, & Conciliorum authoritatibus efficacissime probant; loca citata D. Pauli, & Tridentini debere intelligi de probatione non solum à mortalibus, sed etiam à venialibus culpis, ita vt qui à venialibus etiam non se mundat, indignè accipiat, & in iudicium sibi manducet, & bibat: quamuis hoc non intelligant eodem modo de peccatis venialibus quo intelligunt de mortalibus, sed proportionaliter, nempe quod non se probando homo à peccatis mortalibus, actualiter in iudicium manducat, quia in actualem condemnationem accipit; at verò non se probando à venialibus, aptitudinaliter, seu dispositiuè in iudicium manducat, quia ita reddit se aptum, & dispositum, vt à Deo deseratur, sicque in grauia peccata incidendo, in damnum, ac damnationem Sacramentum acceperit, quod ad vtilitatem, & salutem existimabat accepisse.

Hanc sententiam non obscurè probant aliquæ Sanctorum Patrum authoritates, quas supra contra aduersarios adduximus; & magis clarè probata videri potest apud de Aponte loco sæpe cit. in sapientiam Salomonis. Cui sententiæ videtur adhærere Eminentissimus de Lugo agendo de Sacramento Eucharistiæ disp. 17. sec. 4. vbi adducit verba

Ma-

Magni Gregorij, quibus Sanctus exponit sensum illius loci D. Pauli. Probet se ipsum homo &c. eisque aperte Sanctus Pontifex significat, D. Paulum loqui de probatione à venialibus. Et ex his inferunt isti authores, sed magis expressè de Aponte; Sanctium eiusque sectatores non bene intellexisse; sicque male explicasse verba Concilij, & D. Pauli, adducendo pro sua sententia, quod est contra illam, vt magis clarè infra constabit, tum ex eodem capite adducto Concilij, tum ex sequenti eiusdem.

Sed ponamus hìc aliquid de Concilijs antiquis, vt cognoscamus, si pro aduersarijs, vel contra illos loquantur. In Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno celebrato, quod habetur tom. 3. Conciliorum; extant sequentia verba. In perceptione corporis, & sanguinis Domini magna discretio habenda est; cauendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: Nisi manducaueritis &c. Si verò indiscretè accipiatur; timendum est illud, quod ait Apostolus: Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Iuxta eiusdem ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, vt videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamq; suam præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo Dauid, qui nisi se fassus fuisset, ab-

stinuisse ab opere coniugali ab heri, & nudius tertius, panes propositionis nequaquam à Sacerdote accepisset.] Patres huius Concilij affirmant, neque in longa tempora sacram communionem esse differendam: ne ex longa inedia huius viuifici panis anima à cælesti vita deficiat; neque nimia frequentia indiscriminatim ab omnibus esse accipiendum panem cœlestem: ne ita indiscetè, ideſt debita deficiente animæ dispositione, & corporis puritate, ponat se in periculo manducandi in iudicium, & mortem.

Ecce duo manifestè contra aduersarios, nam ipsi volunt, debere omnes quotidie sacram sumere Eucharistiam, ad quod affirmant, sufficere solam culpæ mortalis carentiam. Patres neque frequentiam nimiam, neque nimiam abstinentiam volunt. Itemque præter puritatem animæ à graui culpa, aliam etiam corporis requirunt, aliamque etiam animæ puritatem vltra illam, quæ est à culpa mortali; qua namque alia ratione debet homo, per istos Patres, pluribus diebus ab operibus carnis vacare, & se ad sacram Eucharistiam præparare, nisi vt orationi vacet, & per pœnitentiam, & bonorum operum exercitium mundet se ab alijs imperfectionibus, & ita maiorem, ac debitam deuotionem concipiat, quo tandem modo aptè, ac dignè ad sacrã Eucharistiam accedat, & ita eam recipiat in salutẽ & vitam; & non in condemnationem, & mortem.

Et

Et si aduersarij adhuc contendant, hanc maiorem puritatem, & præparationem, quam dicti Patres Concilij requirunt supra carentiam culpæ mortalis, esse solum de consilio, non de præcepto, eamque, vt vtilem, non vt necessariam commendare: Adhuc etiam verum erit contra eos, quod saltem ex consilio, vt optimo modo, & sine aliquo animę periculo; imò cum eius fructu, quisque ad sacram communionem accedat, melius, & tutius est, non ita frequenter accedere, maximè qui omnimodè dignam dispositionem non habent, vt aduersarij dicunt; nimirum omnes, ac singulos quotidie ad sacram communionem accedere cum sola culpæ lethalis carentia; melius tutius, atque salubrius esse consilium; vel ergo in hac re dicti Patres Concilij errarunt, vel isti authores errant, vt certè errant, dum suum consilium tot Patrum consilio sapientissimorum, quibus Spiritus Sanctus astitit, sanius, & salubrius putant, illorumque consilio pręferunt.

Præterea dicti Patres aliquid vltra consilium in citatis verbis velle videntur, vt consideranti patebit: nam tempus proportionatum, ad dignam dispositionem faciendam, ne quis in detrimentum animæ recipiat, non requiritur ex consilio, sed ex præcepto, siue necessitate: dixissent enim Patres, præparationem ad tantum Sacramentum percipiendum, fieri debere prædicta cum diligentia,

vt maiori cum fructu, & vtilitate illud quisque recipiat; non verò ne in iudicium sibi manducet, & bibat, vt iam dixerunt. Igitur vltra consilium, aliquid aliud indicare voluerunt, nimirum, ne cum actuali, & præsenti, vel consequenti, & futuro animæ damno, sed cum fructu, & vtilitate hoc tantum Sacramentum quisque recipiat, præparari debere cum omnimoda puritate animæ, & corporis, per carentiam omnis peccati, omnisque impuritatis. Si hæc, quæ à Patribus citati Concilij dicta sunt, faueant aduersarijs, vel potius communissimæ sententiæ, ac sanctissimæ omnium verè piorum authorum opinioni, ac doctrinæ, alij iudicent.

Sed relinquamus modo id, quod spectat ad necessariam præparationem, ne quis in iudicium hoc Eucharistiæ Sacramentum sumat, & persistamus in solo saniori consilio; ac vltra videamus, vtrum sanius consilium sit, vt dicit Sanctius, & sequaces; Omnes quotidie sumere Christi corpus, dum sine culpa mortali sunt; an potius, etiamsi tali culpa careant, sanius sæpissime consilium sit à communione abstinere. Audiamus quid dicant hac de re Patres Concilij Eliberitani, quod Concilium habetur tomo 1. Conciliorum; & fuit celebratum eo tempore quo frequentia communionis adhuc multum vigebat, idest tempore primitiuæ Ecclesiæ; fuit enim celebratum circa tempora Concilij Nicæni sub

ſub Silueſtro Pontifice, & Conſtantino Imperatore. In hoc Eliberitano Concilio per plures Canones, plura circa ſacram communionem ſtatuta ſunt, quæ an ſint per modum præcepti, ſiue conſilij, nolo iudex eſſe; ſaltem erunt per modum conſilij, quod certè conſilium, nemo ſanæ mentis non fatebitur; præferendum eſſe conſilio Sanctij, eiuſque diſcipulorum.

Nam Canone 1. non ſolum Patres illi negauerunt communionem per totam vitam in idololatriam relapſo, ſed nec etiam in articulo mortis dandam eſſe ſtatuerunt. Item Can. 3. Flaminibus, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, vlterius eis dandam non eſſe communionem. Item Can. 5. loquendo de domina, quæ ita flagellat famulam, vt moriatur, & dubium ſit, an actione, & voluntate flagellantis, illa obierit, vel caſu id acciderit; ſic aiunt. Si voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu, poſt quinque annorum tempora, acta legitimè pœnirentia, ad communionem admittatur. Inſuper idem Concilium mandat, vt omnis homo ante ſacram communionem à propria vxore abſtinere debeat tres, aut quatuor, aut plures dies. Eritne ſanius conſilium affirmare, Omnes poſt quodcumque peccatum, etiam ſacrilegæ impuritatis, per ſacramentum pœnitentiæ deletum, ſanctiſſimam ſtatim Euchariſtiam recipere poſſe, etiam ſi nulla adſit neceſſitas? imò hanc quotidie accipiendam eſſe,

esse, etiam si quotidie quis in similia peccata incideret, eaque per pœnitentiæ sacramentum ante communionem expiaret? Quam longè hoc consilium distet, imò quam contrarium sit supradictorum Patrum consilio, nemo non videt; & qui ita videt, vt sciat cognoscere, & æstimare dignitatem sacramenti Eucharistiæ, atque ita qua puritate, qua deuotione, quaue reuerentia debeat vnusquisque ad illud recipiendum accedere, sciet etiam cognoscere, & iudicare quorumnam sanius sit consilium.

Sed Pater Pintus Discursu 6. cap.4.nu.29. non admittit Canonem illum huius Concilij, in quo Patres loquuntur de abstinentia ab actu maritali ante perceptionem sanctissimæ Eucharistiæ, sicut & alios nonnullos eiusdem Concilij, qui apertissimè contra suam sententiam sunt: hos enim Canones affirmat, non esse dicti Concilij, sed ab aliqua priuata persona compositos, & Concilio appositos. Et putat hoc euidens esse, tum ex eo, quia huiusmodi Canones opponuntur Canoni, & præcepto Apostolorum de communione quotidiana: tum etiam quia videntur inter se pugnare, & aliquam contradictionem habere, nam in aliquibus ex ijs prohibentur nonnulli communione, & deinde in Canone 28. affirmatur, esse voluntatem Patrum Concilij, quod, qui quotidie non recipiunt sacram communionem, excommunicentur ab Episcopis.

Et

Et tandem in alio Canone Patres Concilij excommunicant illos, qui non communicant in Paſcha Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini. Et ex iſto vltimo Canone dicit Pintus, oſtenditur manifeſtè, nullum ex eis fuiſſe à Patribus ordinatum, quia non debebant addere excommunicationem contra non communicantes tribus diebus prædictis, qui excommunicationem iam ordinauerant contra eos, qui omnibus, & ſingulis diebus ſacram Euchariſtiam non recipiebant.

Verum, quam Pintus habet euidentiam de falſitate dictorum Canonum, exiſtimo alios non habere, præſertim ex rationibus, quas ipſe adducit, quæ non ſolum non oſtendunt euidenter, ſed nec probabiliter falſitatem eorum; maximè cum Canones huius Concilij non ſint contrarij, ſed potius conformes Canonibus, ac determiaationibus aliorum Conciliorum, Patrum, & authorum, vt ex dictis patet, & ſemper magis patebit ex dicendis; nec Canoni, & præcepto Apoſtolorum opponuntur, ſed conformantur, quia præceptum iſtorum debet intelligi ſecundum ἐπιείκειαν, ſiue æquitatem; vt iam explicuimus, & probauimus, & vt ſemper intellectum, & vſu firmatum eſt in Eccleſia, & non eo rigidiſſimo modo, quo vult Pintus, quia ſi ita deberet intelligi, omnino vanæ fuiſſent tot conſtitutiones, leges, & ordinotiones, ne aliqui ſumerent ſacram communionem, ſiue vt ad tempus ea

priua-

priuarentur, de quibus supra diximus, & omnes, qui illas fecissent, vel eis vsi essent, errassent, quod affirmare sine temeritate non esset. Legantur vitæ Pontificum, præsertim Innocentij Tertij viri doctissimi, & sanctissimi, qui multos ad tempus, vel etiam vsque ad vitæ finem sacra communione priuauit, hoc idem, & alij plures fecerunt cum delinquentibus, hanc scilicet eis iniungendo poenam, etiam postquam resipuerant, & Pontificiam delictorum absolutionem obtinuerant.

Deinde quam oppositionem Canones huius Concilij inter se habeant, non apparet, imò valdè cohærentes, & consequentes videntur esse, vt ex ipsismet verbis Pinti loco citato facilè cognosci potest, et si ipse bene considerasset verba Canonum, etiam ea, & eo modo quo affert num. 29. cognouisset, neque contradictionem, neque superfluitatem in eis esse. Quæ enim contradictio, aut superfluitas potest esse in hoc, quod est ostendere voluntatem, quod Episcopi excommunicent illos, qui alienabantur à pietate christiana per inediam cibi coelestis, quo semper nutriri debebant, dum non impediti; sed dispositi essent, vt conueniebat, ad quam omnes dispositionem conari oportebat: & quod deinde ipsimet Patres Concilij ex communicarent eos, qui tribus dictis diebus maximæ solemnitatis non communicarent. In his enim solemnitatibus non communicare, visum est illis Patribus non solum

lum indicare alienationem à pietate christiana, sed quandam sapere impietatem; quare tunc ex se, qui tam longe à pietate aberrassent, ex communicare voluerunt; pro alijs vero diebus remiserunt Episcopis, vt si eis videretur, qui non communicabant, excommunicarent. Similiter voluntas, quam ostendunt, excommunicari eos, qui singulis diebus sacram Eucharistiam non sumebant, debet intelligi de ijs, qui prohibitionem non habebant, sicuti dictum est de intelligentia erga præceptum Apostolorum: & quid simile de facto ex Ecclesia habemus, quæ sub censura præcipit paschalem communionem omnibus fidelibus, quam tamen non incurrunt, qui ab eadem Ecclesia à sacra communione repelluntur, vt sunt aliqui publici peccatores.

Sed ea, quæ iam dicta sunt ex Concilijs, fortasse non erit hic incongruum confirmare; sicut, & antiquiorum Patrum consilium, aliquorum recentiorum Authorum, & Patrum consilio, & authoritate magis roborare. Vittoria de Eucharistia n. 85. & Petrus Soto lect. 9. Adhærendo consilio Dionisij Carthusiani, & Alberti dicunt, aliquando à sacra communione abstinendum, ne aliquibus Sacramentum assiduitate vilescat, & vt aliquibus erga illud deuotio, & reuerentia magis crescat: ac eos, qui ad sacram communionem per abstinentiam à coitu se præparant, non debere prohiberi de men-

se in mensem. Dominicus Soto de Eucharistia quæst. 1. ar. 10. non vult coniugatos plus quam semel in hebdomada communionem accipere; in quo videtur adhærere Diuo Isidoro cap. 78. de Ecclesiastico Officio, dicenti; Coniugatis autem abstinendum est à coitu, pluribus diebus orationi debent vacare, & sic deinde est ad corpus Christi accedere.] Ouandus de hoc Sacramento disp. 12. dicit, Indecens esse vno die post alterum laicos communicare: Caetanus, S. Antoninus, & alij innumeri simili modo loquuntur, videantur apud authores, qui de hac materia scripserunt.

Et addit Eminentissimus de Lugo loco supra citato sec. 2. Eiusdem sententiæ esse omnes Societatis authores, quæ Societas, quamuis ad Sacramentorum exercitium sit satis propensa, cum ipsorum frequentia Sacramentorum ab eius Patriarcha Sancto Ignatio incrementum acceperit, vt in istius legitur historia; nihilominus quo ad quotidianam communionem magna cautela procedit, nec eam concedit, nisi personis probatæ vitæ, & eximiæ virtutis testimonio præeunte; & hac de re adest, inquit Lugus Regula 26. Sacerdotum, qua præscribitur omnibus societatis confessarijs, ne sint faciles, in quotidiana communione pœnitentibus concedenda, sed potius coniugatos moneant, ne crebrius, quam octauo ad summum die accedant. Et cum quidam tentauerit, vt hæc regula abrogaretur, nihil

pro-

profecit, quia noluerunt prudentissimi Patres Societatis à consilio dato, & ordinatione satis cautè à primis Patribus cęlesti lumine illustratis commendata, ob rationes cuiusdam minus stabiles, & reuerentiæ Deo debitæ incongruas, recedere: & addit Lugus, in his materijs moralibus à communi sensu, & opinione Doctorum, præsertim prudentum, & piorum, recedere, non potest esse sine magno periculo, & nota maximæ temeritatis.

Vltimo tandem loco Concilij Tridentini oportet quamdam considerate doctrinam. Nam Patres huius Concilij sess. 25. cap. 10. de Regularibus, & Monialibus; Præcipiunt Episcopis, alijsque Prælatis, apponere in constitutionibus Monialium, vt semel in mense sacra communione reficiantur, vt hoc salutari præsidio muniant se, ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas.] Ecce sapientissimi, & prudentissimi illi Patres, quibus aderat Spiritus Sancti virtus, ad eorum determinationes in bonum vniuersalis Ecclesiæ dirigendas; non audent obligare, nisi semel in mense, nec quascumque personas, sed Sanctasmoniales, quarum vita tota Deo dicata est, & à rebus mundi huius omnino abstracta. Et tamen inueniuntur hodie, qui omnibus quotidie indiscriminatim concedũt sacratissimam communionem, imò ad hanc veluti cogunt; & audent affirmare, hoc suum consilium sanius, & salubrius esse, quam consilium omnium

Authorum, Patrum, & Conciliorum; nec desunt etiam, qui quodamodo asserant, omnes teneri ad sacram Eucharistiam quotidie recipiendam; vt infra videbimus; atque hæc possunt in hoc capite pro nobis, & contra aduersarios esse satis.

CAPVT VI.

Proponuntur, & soluuntur aliqua argumenta Patris Velasquez, Pinti, & aliorum Sanctij discipulorum contra nostram doctrinam.

EX supra dictis, præsertim cap. 4. & 5. infertur, communionem quotidianam ob indispositiones, vel non sufficientem dispositionem subiecti, non esse indiscriminatim omnibus conuenientem, & concedendam, etiam si reperiantur sine culpa mortali.

Contra hanc nostram doctrinam insurgit vir quidem doctus, & pius Pater Antonius Velasquez Pintus, qui deuotionis affectu erga Eucharistiæ sacramentum plura dixit, & scripsit in suo Thesauro de sacramentali Manna à Christo fidelibus dato, vt singulis diebus omnes ex eo comedant, & saturentur: Quæ videntur modum proportionatum non

ha-

habere, & terminos conuenientis pietatis excedere; vt patebit, proponendo, & soluendo eius rationes contra nostram doctrinam, & explicando eiusdem expositiones, & solutiones, quibus conatur ad nihilum redigere, seu potius eludere firmissimam piorum Doctorum sententiam, ac doctrinam.

Et primo, vt Pintus ostendat, male nos docere, solum gratiæ statum sufficientem non esse dispositionem ad sacram communionem, inquit. Non maior dispositio requiri debet ad recipiendū Christi Corpus sacramentatum hìc in terra, quam requiritur ad fruendum in Cœlo corpore eiusdem glorificato; at sola gratia ad hoc sufficit; ergo & ad illud sufficiens erit; non enim plus requiri debet ad medium, quam ad finem, receptio autem Corporis Christi in via est medium, vt perueniamus ad fruendum eodem in Patria, quia Corpus Christi sacramentatum est pignus æternæ gloriæ, sicque fruendi Christi corpore glorificato.

Confirmat primo, quia per quemcumque minimum gratiæ gradum efficimur, vt inquit Diuus Petrus, Diuinæ consortes naturæ; Et hoc est donum maximum, & pretiosissimum, quod potest Deus dare, & dat hominibus, vt idem affirmat Apostolus. Ergo per hoc solum gratiæ donum aptissimi erimus ad Christi corpus recipiendum. Pet.2.c.1.

Confirmat secundo, quia quicumque gratiæ sanctificantis gradus, est proportionata, & digna

idſ-

dispositio, vt recipiatur in hominis animam Spiritus Sanctus, imò omnes tres personæ Sanctissimæ Trinitatis, ergo erit etiam proportionata, & digna dispositio, vt recipiatur Christi Corpus sacramentatum, ergo sola gratia, sine re alia superaddita, sufficiens dispositio erit ad sacram Eucharistiam, maximo cum fructu recipiendam.

Sed responsio ad has Pinti difficultates difficilis non erit. Et primo ad argumentum respondeo. Plus requiri ad recipiendum in terra Christi Corpus sacramentatum cum fructu, quam ad fruendum eodem in Cœlo glorificato. Ratio est, quia ad secundum sufficit, Hominem decedere ex hac vita cum iure filiationis, quod ius tribuit gratia, quæ, cum sit participatio Diuinæ naturæ, reddit hominem eiusdem quodammodo naturæ cum Deo, facitque illum Dei filium, saltem adoptiuum, sicque per gratiam dicuntur homines Dei filij adoptiui, si autem filij, vt inquit Apostolus, & hæredes, hæredes quidem Dei, & cohæredes Christi. Igitur cuicunque in gratia decedenti fruitio debetur Corporis Christi, eiusque Diuinitatis, vt quibuscumque filijs ratione ipsius filiationis hæreditas Patris debetur: Et hac ratione gratia per se immediatè, ac formaliter dicitur, estque pignus vitæ æternæ: non ita vero Corpus Christi sacramentatum, quod quamuis dicatur etiam pignus vitæ æternæ; hoc illi non conuenit immediatè, & for-

mali-

maliter, sed mediatè, & efficienter, per collationem, scilicet gratiæ in animam, si autem hanc producere non valet ob subiecti indispositionem, & incapacitatem, non erit tunc pignus vitæ æternæ, sicut in ijs, qui sunt malè dispositi, non vitæ, sed mortis æternæ est quodammodo pignus, quia isti, vt inquit Apostolus, in iudicium, & condemnationem sumunt Christi Corpus. Hinc Bernardus asseruit: Nunc in Ecclesia quibusdam Corpus Domini est vita, quibusdam vero est poena, & supplicium peccati.] D. Bernar. serm. 28. ad sororē de comm.

Quod autem ad hoc, vt Sacramentum Eucharistiæ conferat suos effectus animæ (quorum præcipuus est gratia habitualis) requirat aliquam dispositionem supra statum gratiæ, est certum apud omnes Theologos cum D. Thoma, qui exposcit in adultis ad gratiam sanctificantem, vel primo producendam, vel augendam per quodcumque Sacramentum, dispositionem aliquam. Et ratio Sancti Doctoris est: vt prima secundæ qu. 112. ar. 2. in corp. & 113. ar. 3. in corp. quia nulla forma produci, aut conseruari potest, nisi in materia disposita iuxta modum, & conditionem rerum; vnde cum homo adultus sit liberi arbitrij, & per hunc moueatur, & se disponat; non tribuit Deus homini adulto formam iustificantem, nisi ipse per suos actus se moueat, & disponat ad talem formam, iuxta illud Prouerb. 16. Hominis est præparare animam; sal-

tem

tem per actum quo causam acceptet, quæ debet formam gratiæ conferre: igitur gratia habitualis, quæ respectu Sacramentorum, quæ dicuntur viuorum, prærequiritur in anima, non est de se integra, & sufficiens dispositio ad hoc, vt Sacramenta nouam gratiam conferant, sed se habebit respectu ipsorum, vt materia, siue subiectum simul cum natura rationali, siue conditio talis naturæ, vel ad summum, sicut inchoata dispositio, vt sacramenta viuorum suam formam conferant subiecto, atque in isto requirunt adhuc dispositionem iuxta proportionem formæ, quæ conferri debet, & conditionem causæ à qua debet conferri, & naturam subiecti, cui debet conferri. Cum igitur, vt patet ex dictis. & magis infra patebit, Eucharistiæ Sacramentum, ad gratiam conferendam, requirat in subiecto dispositionem per actus hominis, non solum acceptationis sed magnæ etiam deuotionis, reuerentiæ, & amoris; hinc est, quod gratia de se sola non est sufficiens, ad hoc, vt homo Christi Corpus hic in via cum fructu recipiat, sicut sufficiens est, ad hoc, vt illo in patria fruatur ex ratione iam dicta.

Et sanè si argumentum Pinti vim haberet, sequeretur, quod sicut nullus fruitur Christi Corpore in Coelo, etiam si decedat in gratia, antequam sit totaliter mundus, & purus ab omni iniquitate, & peccato etiam veniali leuissimo, vel minimo; quia in illam Sanctam Ciuitatem nullus coinqui-

natus,

natus, & immundus, vt inquit Ioannes, intrabit. Apoc: c.21.
Ita nullus posset Christi Corpus hic in terra recipere, quamuis gratiam habitualem haberet, nisi mundus esset ab omni peccato, etiam veniali. Sed Pintus ait hoc non requiri in terra, quia alioqui numquam posset homo Christi Corpus sacramentatum recipere; cum in hac vita, vt ex pluribus Sacræ Scripturæ locis habemus, nullus hominum sine venialibus viuere valeat.

Sed hæc responsio in primis destruit eius paritatem de sufficientia solius gratiæ in via, & in patria, vt patet. Deinde falsa est, quia potest homo pro aliquo breui tempore esse sine vlla culpa, etiam veniali, & tunc posset recipere Eucharistiam cum omnimoda puritate: est expressa doctrina Diui Thomæ, quam communiter sequuntur Theologi; quia videlicet homo non semper venialiter peccat, cum libertatem habeat non peccandi, & singula venialia vitandi: potest ergo cum Dei gratia pro aliquo breui tempore venialia vitare; saltem dum perseuerat in actu amoris Dei super omnia, vel perfectæ contritionis, quia si huiusmodi actus talis sunt conditionis, vt deleant culpas, & mundent subiectum ab omnibus habitualibus peccatis, quæ in illo reperiuntur, multo magis impedient commissionem actualium peccatorum, dum ipsi permanent, & perseuerant in hominis voluntate. Et ecce quomodo posset homo reperiri sine vlla culpa, etiam

veniali, quo tempore ſi reciperet Euchariſtiam, iam reciperet hìc in terra Chriſti corpus ſacramentatum ea cum puritate, qua per gratiam fruiturus eſt in Cœlo corpore eiuſdem glorificato. Et hoc fortaſſe voluit D. Thom. 3.p.q.80.ar.8.ad 6. quando dixit; Maximam requiri deuotionem in ipſa Sacramenti ſumptione ad percipiendos omnes fructus huius Sacramenti.] Sed tantam puritatem, neque Pintus, neque alij Sanctij ſectatores requirunt: ad minus ergo, ſi volunt, quod paritas propoſita in argumento vim aliquam habeat, concedere debent, quod ſicut homo in Cœlo, ſimul cum gratia, ſeu aliquo, quod ſtat loco gratiæ, quam habebat in terra, neceſsè eſt, vt habeat omnimodam puritatem ad Chriſti corpore fruendum; ita neceſſe erit, vt hìc in terra faciat ipſe quantum poteſt, & eam conetur maiorem habere puritatem, & diſpoſitionem, quæ haberi poteſt, vt cum aliqua proportione puritatis Chriſti Corpus poſſit nunc recipere, & fructus eius percipere, vt his mediantibus cum omnimoda poſtea puritate eodem in Cœlo fruatur.

Pintus Diſcurſu 5. cap. 10. dicit contra Caetanum, & quidem bene; non eſſe neceſſariam in communione attentionem, & deuotionem actualem, vt etiam nos infra dicemus: quia Deus non debuit alligare fructum, ſaltem præcipuum, ſacræ communionis conditioni, quæ, ob imbecillitatem hominis, non ſtat in poteſtate eius: ex qua doctri-

na

na facile infertur, quod ob dignitatem, & venerationem debitam tanto Sacramento, debuit alligare illis conditionibus, quæ ſunt in facultate hominis, vt ſunt filialis amor, reuerentia, ac deuotio ſaltem virtualis, quibus homo ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum diſponatur, vt ijs aptè ac proximè diſpoſitus formam ſanctitatis à tanto ſacramento promanantem poſſit recipere.

Et ex his patet reſponſio ad primam confirmationem Pinti. Etiam ſi homo per quemcumque gratiæ gradum efficiatur diuinæ conſors naturæ, & recipiat pretioſiſſimum donum; hoc tamen ſolum non ſufficit, quia conſtituit hominem aptum, ſed non vltimò, ſeù proximè, vt dictum eſt, quia hanc diſpoſitionem, & aptitudinem vltimam, proximam, & completam, ad formam gratiæ Sacramentalis recipiendam, efficit homo per actus ſuos.

Ad ſecundam confirmationem. Reſpondeo. Anima per gratiam eſt ſufficienter diſpoſita, vt recipiat Spiritum Sanctum, & omnes diuinas perſonas, quia iſta receptio non eſt alicuius nouæ formæ ad quam requiritur proxima diſpoſitio, vt iam explicuimus, requiri ad formam ſanctitatis producendam à Chriſti Corpore. Neque eſt per nouum aduentum Diuinarum Perſonarum, cum Deus ſit præſens rebus omnibus, ex D.Tho. 1.par.qu.8.ar.1. & 3. per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, ſiue ſubſtantiam: Iuſtis autem per gratiam dicitur eſſe

quodam speciali modo præsens, non quia de nouo illis adueniat, sed quia per gratiam magis illis vnitur, siue magis assistit, eosque mouet, vt Deum semper magis cognoscant, desiderent, & ament; vt ibidem in corpore articuli affirmat S. Doctor, & 1.2.q.109.ar.9.ad 2. vbi docet operationem Spiritus Sancti, per virtutem doni habitualis gratiæ, iustos mouere, & protegere simul cum Patre, & Filio.

Ex istis responsionibus soluitur alia Pinti difficultas, quam ipse ponit tractatu 5. & ex parte tetigit in præcedenti argumento iam soluto: vbi dicit, quod non debet plus requiri ad medium, quam ad finem, sicque non maior, seu perfectior dispositio in subiecto ad formam, quam sit in ipsa forma: si ergo, vltra gratiam habitualem, requireretur alia dispositio in subiecto, ad hoc vt gratia sacramentalis produceretur in ipso, requireretur maior dispositio ad formam producendam, quam sit in ipsa for, ma, quæ debet produci, quod est contra principia bonæ philosophiæ. Et hinc multa ipse infert inconuenientia; quæ explicat discursu 4. cap. 17.

Iste author laborat in æquiuoco. Iam diximus, gratiam habitualem verè, & propriè non se habere respectu gratiæ sacramentalis producendæ ab hoc Eucharistiæ Sacramento, vt dispositionem, sed vt materiam, siue conditionem subiecti; at deinde requiruntur actus hominis, quibus ipse disponatur aptè ad hoc, vt Sacramentum conferat eidem habenti

benti sufficientes conditiones, & dispositiones suam formam. Quæ vtique dispositio per dictos actus, quamuis in eodem ordine cum fotma, vt docet philosophia, satis tamen inferior est, quo ad perfectionem, ipsamet forma, ad quam vltimo disponit, & aptat subiectum.

Hæc responsio confirmari potest, ex doctrina ferè communi, & ab ipsomet Pinto recepta discursu 4. cap. 14. num. 6. scilicet Eucharistiam non solum conferre gratiam quando primo recipitur, sed toto etiam tempore, quo species sacramentales incorruptæ perseuerant, in recipiente, si semper hic magis per suos actus ad effectum Eucharistiæ disponitur. Ex quo euidenter sequitur, quod ad conferendum suum effectum Eucharistia, cum primo recipitur, præter gratiam habitualem, requirat aliam dispositionem per actus ipsius hominis in subiecto; quia si requirit hanc ad augendum effectum suum; multo magis eam requiret ad illum primo producendum: id enim, quod requiritur ad minus, & quod se habet, vt accessorium, & secundum quid, multo magis requiritur ad maius; quod se habet, vt principale, & ad quod primo, & principaliter ordinatur, vt est gratia, quam primo, & per se producit Eucharistiæ Sacramentum, & per hanc primo productam habet suum sufficientem effectum.

Inconuenientia, quę adducit Pater Pintus, si vim aliquam continent, (quam re vera non continent) mili-

militant contra eos, qui dicunt, Sacramentum Eucharistiæ non debere concedi quotidie, nisi perfectis, & sanctis; & eo magis, vel minus frequenter, quo magis sunt perfecti, & sancti: nos autem hoc non dicimus, sed solum affirmamus, requiri debitam dispositionem internam, iam explicatam ad Sacramentum hoc recipiendum, & alias etiam conditiones puritatis, tùm internæ, tum etiam externæ, vt patet ex nostra doctrina; & quia difficile est, omnes quotidie habere posse debitam dispositionem, ac illam puritatem cordis, & corporis, quæ requiritur ad tantum Sacramentum cum fructu recipiendum; ideo diximus, communionem non posse omnibus quotidie indifferenter competere; sicque nō debere omnibus quotidie indiscriminatim concedi, etiam si in gratiæ statu supponantur esse.

Deinde probat secundo Pater Pintus permultis authoritatibus, & rationibus hoc Eucharistiæ Sacramentum esse quotidie ab omnibus fidelibus sumendum. Et primo, quia illud sumere quotidie est quotidiana Dei gloria. Et illis, qui respondent, hoc Sacramentum ex consuetudine sumere, non resultare in Dei gloriam. Replicat Pintus hanc responsionem esse contra bonam philosophiam, quæ docet, quod ea, quæ fiunt ex vsu, siue habitu, fiunt faciliori modo, suntque meliora, atque ita communio ex vsu, siue habitu facta in maiorem Dei gloriam erit.

Res-

Respondeo communicare reuerenter, deuotè, ac ex verò desiderio, & amore erga Deum, resultat in maiorem Dei gloriam, & animæ vtilitatem, & sic frequenter sacram communionem recipere, erit ex vsu, & habitu bono, ac sancto; atque ita, & non aliter frequentari debet, vt affirmat Taulerus serm. 3. in festo Venerab. Sacramenti, & Esichius centuria prima, quorum authoritates ipsemet Pintus adducit in discursu 4. cap. 9. num. 2. At vsus, & habitus fit etiam in malo; & tunc ex habitu operari, non in Dei gloriam, & honorem, sed è contra resultat; & quamuis materia in casu nostro sit bona, quia tamen circumstantiæ non sunt bonæ, cum non ex debita dispositionē homo accedat ad sacram communionem, sequitur quod actus, qui circa illam exercentur, non sint boni, sitque ex ipsis vsus, & habitus malus, vt si quis daret frequenter eleemosinam ob inanem gloriam faceret habitum malum circa rem materialiter quidem bonam, sed formaliter malam, quia malum consurgit ex quocumque defectu, vt habemus ex D. Dionysio cap. 4. & hanc doctrinam ipse sumpsit ex Aristotele lib. 2. Ethic. cap. 6. vbi dicit. Peccare multis modis possumus, rectè agere vno tantum modo, atque idcirco illud facile, hoc difficile est, facile siquidem est à scopo aberrare; sicut ipsum attingere difficile.] Et D. Thomas, qui hoc idem sentit, & cum eo alij Theologi; adducit 1. 2. q. 18. ar. 3. in arg. sed contra,

tra,

tra, ad huiusmodi doctrinam confirmandam, hæc alia verba Philosophi ex loco citato desumpta; Virtuosus operatur secundum quod oportet, & quando oportet, & secundum alias circumstantias. Vnde infert S. Doctor, ergo e contrario, vitiosus secundum vnumquodquè vitium operatur: quando non oportet, vbi non oportet, & sic de alijs circumstantijs.] Si autem vsus communionis sine debita circumstantia rectæ dispositionis non est bonus; ita communicare in Dei honorem, & gloriam esse non poterit. Quo ad authoritates, quas adducit Pintus, nihil vltra, præter ea, quæ diximus capite 3. hìc addam: vbi adduximus authoritatem D. Bonauenturæ affirmantis, omnes rationes, & authoritates, quæ adduci solent pro frequentia communionis, intelligi debere, salua debita dispositione, quæ in paucissimis est, vt semper.]

Tertio probat Pintus, quia Christus reliquit se hominibus in Eucharistia, vt familiariter, & amicabiliter cum illis conuersaret, quod proprium est amicitiæ, vt inquit D. Thomas 3.p.q. 78.ar.1. in corp. ex nono Ethic. & quia conuersatio, & amor amicitiæ debet esse mutuus ex 8. Ethic. vt idem S. Doctor affirmat 1.2.qu.75.ar, 5. in corp. ideo debent homines ad talem mutuam conuersationem habendam, & amorem ostendendum erga Christum hominum amatorem, & amicum, quotidie eius corpus recipere, quia nullo melius modo, quam

corpo-

corporis eius receptione, potest homo mutuum amorem ostendere, & conuersationem habere, & sic veram amicitiam.

Respondeo. Omittendo nunc, vtrum possit esse vera, & propria amicitia inter Deum, & homines, cum amicitia, ex Philosopho in Ethicis, debeat esse inter æquales: & hinc fere communiter authores doceant, non posse esse veram amicitiam inter Deum, & homines, inter patrem, & filium, inter dominum, & seruum. Nihilominus certum esse debet, aliquam intercedere amicitiam inter homines, & Christum Deum, & hominem, qui dignatus est vocare suos discipulos non seruos, sed amicos. At conuersatio inter amicos, maximè inferioris respectu superioris, & excellentioris, debet esse talis, vt conueniat huius excellenti dignitati, ac superioritati, sicque signa amoris debent ita præstari, & conuersatio erga Christum Deum, hominum debet esse talis, vt sit secundum debitam reuerentiam, & deuotionem supra explicatam; alioqui receptio Christi in Sacramento non erit conuersatio amicabilis, nec signum amoris amicitiæ erga amicum tantæ excellentiæ, & superioritatis, sed potius signum minimæ æstimationis, aut contemptus, quæ amicitiam non fouent, sed potius fomentum tribuunt dissolutioni amicitiæ. Ioan.c.15.

Quarto probat Pintus, debere omnes quotidie communicare, quia vna communio est dispositio

ad aliam, sicque ille, qui hodie communicat, magis erit dispositus ad crastinam communionem, quia per ea quæ in hodierna communione exercet, magis se disponit pro crastina communione. Et addunt alij, qui cum Pinto sentiunt; diuturnitatem temporis non reddere hominem magis aptum ad sacram communionem; qui ergo non est aptus ad illam hodie, & quotidie, neque post annum erit aptus, imò diuturnitate temporis potius redditur semper minus aptus: hæc autem quotidiana aptitudo non videtur posse consistere, nisi in carentia culpæ lethalis, sicque per carentiam huius culpæ vnusquisque erit quotidie aptus, & poterit quotidie cum maiori semper aptitudine, & fructu ad Eucharistiȩ Sacramentum accedere; estque doctrina fundata in doctrina Sanctorum Augustini, & Chrysostomi.

Fateor diuturnitatem temporis secundum se non reddere hominem magis aptum, magisque dispositum ad sacram Eucharistiam recipiendam; imò per se præcise minus aptum, minusque dispositum, quia quo magis se quisque elongat a rebus diuinis, eo postea difficilius ad illas accedit, si hoc tamen faciat ex relaxatione vitæ, & applicatione totius hominis ad ea, quæ mundi sunt: at verò si quis ita viuit, vt à Dei gratia non recedat, & quantum est ex hac parte quotidie mereatur accipere; vt dicebat Augustinus: & iste ob defectum puritatis corpora-

lis,

lis, vel vt melius, & aptius se disponat, ac præparet ad tantum Sacramentum, cui summa deuotio, & reuerentia debetur, aliquibus diebus hoc Sacramento se priuat, vt postea bene dispositus ad illud accedat, sicut Beata Catharina Hungariæ Regina maximo cum fructu, & vilitate animæ suæ faciebat; in isto, ac alijs, qui ob similia motiua communionem differrent, dilatio temporis non ad maiorem esset difficultatem, sed potius facilitatem, quia auget illa ad tempus Sanctissimæ Eucharistiæ priuatio desiderium, & hoc perficit amorem, & consequenter omnium virtutum exercitium, vnde crescit dispositio; sicque fructus vnius communionis hoc modo factæ, plurium excedit fructum communionum cum sufficienti, sed non excedenti præparatione, vt supra, ex multorum authorum doctrina diximus.

Ex eo autem, quòd supra citati Sancti dicunt, scilicet quod, qui non est quotidie paratus, neque erit post annum, quodque diuturnitas temporis non reddit hominem aptiorem ad sacram communionem, non bene infertur, ergo aptitudo ad quotidianam communionem erit per solam carentiam culpæ mortalis. Vnde aduersarij istam consequentiam deducunt? Sancti Doctores in antecedenti nihil de hac re, imò contrarium dixerunt, vt patet ex doctrina vtriusque Sancti latè iam supra explicata: nam Augustinus dixit quidem; Qui non To. 1. sermone 28.

meretur quotidie accipere, non meretur post annum. Sed dixit etiam, sic viue, vt quotidie merearis accipere: quorum sensum verborum, iam supra sufficienter explicuimus. Qui enim malè viuit nec à tali vita recedit, semper magis ineptus ad sacram communionem erit: at vero, qui ita viuit, vt quotidie possit se disponere ad sacram Eucharistiam percipiendam, sed occupationibus; ratione status, impeditur; non sequitur, quod aliquando non possit tempus opportunum habere, ad se aptè, & perfectè disponendum, vt non cum sola culpæ grauis carentia, sed cum digna, & debita præparatione ad sacram Mensam accedat, & sic fructum eius percipiat; non enim omnes in tali statu,& talis sunt conditionis, vt etiam si bene viuant, & nullum lethale peccatum committant, apti sunt, aut proportionatum tempus habent, ad quotidie se disponendum, vt cum ea reuerentia, & deuotione hoc sacramentum recipiant, quæ conueniens, ac necessaria est.

Hoc idem patet ex verbis Chrysostomi, qui cum dixisset. Tempus non facit dignos tanti aditu Sacramenti, addidit: sed sola animæ synceritas, atque expurgatio, cum tali puritate accede semper; sine hac ne præsumas vnquam.] De qua autem puritate tum animæ, tum corporis loquatur Chrysostomus, & alij Sancti cum eo, iam supra cap. 3. sufficienter diximus, neque hìc eadem, quæ ibi

dicta

dicta sunt, repetenda erunt, videantur ibi. Sensus igitur Sanctorum est; vt cum debita præparatione, & digna dispositione, semper sit accedendum ad sacram Eucharistiam, & qui ita dignè dispositi sunt, semper accedant, qui vero minimè, nunquam: sed optant, ac suadent pij, & sancti viri, vt ita sint omnes semper dispositi, vt possint semper ad sacram Mensam accedere, & eius suauitatem gustare, fructuque gaudere, & qui cum tali digna dispositione accedit hodie ad sacram communionem, cras, si impedimenta non adsunt, poterit in virtute communionis hodiernæ magis dispositus accedere, sicque vna communio erit dispositio ad alteram, vt dicebat Pintus: at vero si ex quadam consuetudine, vt supra cap. 1. notauimus, & sine debita dispositione, quis hodie recipit Sacramentum, per hanc communionem non disponitur ad melius, & maiori cum fructu alteram die crastina faciendam, sed potius ob defectum reuerentiæ, ac deuotionis Deo debitæ, exponitur, vt deseratur à Deo, & ita in aliquod graue peccatum cadat, sicut dicebat Bonauentura.

Sed Pintus instat, & cum eo alij Sanctij discipuli. Certum est, quodcumque opus bonum disponere suo modo ad aliud simile; sicuti quicumque actus disponit ad alium similem; ergo communio hodierna, si non est indignè facta, etiam si facta non sit cum alia dispositione supra statum gratiæ

habi-

habitualis, erit opus bonum, & consequenter disponet ad aliam similem communionem, vt scilicet faciliori, & meliori modo fiat, nec debet requiri summa, nec etiam magna perfectio in primo actu, siue opere, sed in sequentibus, cum prima disponant ad sequentia: & aliter non posset præcipi alicui, vt oraret, nisi esset perfectus, vel aliud quodcumque opus virtutis exerceret, nisi esset perfectus; & tamen Christus Dominus pręcepit omnibus tum perfectis, tum imperfectis, vt semper orarent.

Quam vim habeat huiusmodi instantia, facile cognoscent Philosophi, si perpendent naturam mediorum: hæc enim, vt Philosophia fatetur, alia sunt prima, & remota, alia vero vltima, & proxima, siue immediata; alia tandem proximiora, & intermedia: medium primum, & remotum est illud, quod non habet ante se aliud medium, quod ad se ipsum tanquam ad finem proximum ordinatur: medium magis proximum, & intermedium est illud, quod magis accedit ad finem, qui vltimo intenditur ab agente, & mediat inter primum, & alterum medium, habetque rationem finis intermedij respectu prioris medij, & rationem medij respectu posterioris, & immediati ad ipsum finem principaliter intentum, & hoc vltimum medium, quod immediatè se habet ad finem, ipsumque ponit, solet etiam appellari intermedium, non vt præcedens, sed quia mediat inter finem, & medium

ante-

antecedens, & ita appellatur ad differentiam finis vltimi intenti, qui nullo modo intermediat.

Ex hac certissima doctrina colligitur solutio ad instantiam Pinti, & aliorum. Opus, de quo nos hìc disputamus, non consideratur in ratione operis, seu actus disponentis physicè ad sequentem, in ratione facilitatis, quia quo ad hanc, iam supra diximus, per actum materialiter bonum, & non formaliter, acquiri facilitatem ad similem faciendum, idest non formaliter, sed materialiter bonum, & huiusmodi actus, siue operationes non possunt facilitare, seu disponere ad meliorem communionem, sed è contra potius disponere, & exponere animam desidiosam, & negligentem, vt, Deo permittente, cadat in aliquod graue peccatum: sed contentio nostra est de dispositione morali ad hoc, vt Sacramentum producat in anima, moraliter disposita, formam sanctitatis, ad quam tamquam medium vltimum, & proximum ordinatur Eucharistiæ Sacramentum, & ad hoc ordinantur alia media antecedentia. Sic oratio, si est primum medium, non requirit aliud medium ad ipsam disponens, & præparans (dico si est primum, quia nolo nunc contendere, an ad orationem requiratur præparatio, & quando, siue quomodo, cum per sacram Scripturam habeamus; Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum) ipsa enim est medium ad acquirendas Eccl.c.18.

vir-

virtutes, quibus deinde homo disponitur ad diuinam gratiam, vel à Deo immediatè conferendam; vel mediantibus causis ab ipso ad eam producendam institutis, inter quas primum tenet locum Eucharistiæ Sacramentum, quod a Gauanto Sacramentum appellatur Sacramentorum. Itaque Oratio ordinatur ad acquirendas virtutes, & hæ ad exercendos actus virtuosos, quibus homo disponitur ad dignè sacram Eucharistiam recipiendam, atque ita formam, siue effectum eius ad quem supradicta omnia ordinantur. Quid ergo mirum si ad aliqua opera bona, quæ in serie operum sunt prima, non requiratur dispositio, quæ requiritur ad sequentia, & præcipue ad opus vltimum, quod immediatè attingit, & ponit finem, quem homo in hac vita intendere debet, vt eo perfectiori modo quo in ipsa fieri potest, vniatur cum Deo suo.

Gauan. in Rub. Miss.

CAPVT VII.

Proponuntur alia Contrariorum argumenta, & soluuntur.

MVlta congerunt contra nos Sanctij sectatores ex doctrina sui ducis argumenta. Dicunt itaque esse de iure diuino, quod omnes quotidie panem Eucharisticum manducent, quia Christus Do-

Dominus, instituendo hoc Sacramentum, dedit discipulis suis, vt omnes ex eo sumerent, & manducarent; dixitque eis, ac etiam nobis in persona eorum, in memoriam vt id facerent suæ passionis, quam debebant semper, sicut & nos, præ oculis habere, deque ea semper gratias Deo agere. Et alibi dixit quod, qui non manducat carnem suam, & bibit sanguinem suum, non habebit in se vitam. Et hac ratione; vt scilicet, significaret, quod sine hoc cibo non possunt homines viuere spiritualiter, instituit Eucharistiæ Sacramentum in materia panis, & vini, quibus omnes quotidie indigent ad vitam manutenendam, & si his quotidie non vtuntur, vel vitam amittunt, vel in actibus vitæ nimis debilitantur. Ad hunc autem diuinum panem manducandum, dicunt, omnes accquirere ius in Baptismo, quia tunc vnusquisque fit membrum Christi viuum, & sicut membris, eo ipso quod in corpore viuunt, debetur ipsius corporis alimentum, vt eo viuant, nutriantur, & augeantur: ita Christi fidelibus, eo ipso quod per Baptismi gratiam Christo incorporantur, fiuntque membra eius, quæ viuunt de spiritu eius, debetur alimentum spirituale corporis Christi, quod cibus spiritualis est, quo aluntur (vt inqnit Tridentinum) & confortantur viuentes vita illius, qui dixit. Qui manducat me, & ipse viuet propter me.

1. Corint. c. 11.

Luc. c. 22.

Ioan. c. 6.

Sess. 13. cap. 2.

Addit Pintus, etiam ante institutionem huius

Sacramenti, multis Deum figuris significasse necessitatem recipiendi quotidie hunc sui corporis cibum, ad vitam spiritualem conseruandam. Hoc enim, inquit, significauit per Manna, quod quotidie è cœlo mittebat, vt quotidie omnes sumerent, sustentarentur, & viuerent; similiter hoc idem significauit per lignum vitæ plantatum in medio Paradisi, cuius fructu omnes indigebant ad perpetuo vitam conseruandam: ideo Tridentinum addidit loco citato; Hoc Sacramentum esse æternæ vitæ pignus, quia à culpis mortalibus præseruat; atque ita à morte spiritali. Vnde anima, quæ quotidie fructu Eucharisticæ arboris, quam Christus in medio Paradisi, suæ scilicet Ecclesiæ, pro omnibus plantauit; nutritur, mortem spiritualem non patietur; atque ita semper hìc viuet, vt in æternum viuat in coelo.

Exod. c. 16.

Gen. c. 2. & 3.

Inquit item Pintus, omnia hæc confirmari ex eo, quod Christi loquutiones supra citatæ de necessitate manducandi corpus suum sunt indefinitæ, tum quo ad tempus, tum quo ad personas, & quia propositio indefinita, ex dialecticis, æquiualet vniuersali; ideo Christi verba debent intelligi vniuersaliter, tam quo ad tempus, quam quoad personas, idest quod omnes, nullo excepto, debent communicare, & hoc singuli debent quotidie præstare. Et hac ratione affirmat, præceptum ab Apostolis impositum in principio surgentis Ecclesiæ de commu-

nione

nione quotidiana, (vt exprimitur in Canonibus, qui dicuntur, Apoſtolorum, Can. 10.) deſcendere à Chriſto Domino. Et hinc; vt apertè deducitur ex eius doctrina; contendit præceptum illud, ita fuiſſe de communione ſingulorum, vt etiam qui turpes erant impuritatibus voluntarijs, ac recentibus, vel alijs grauioribus culpis, debebant confiteri ſua peccata, & ad ſacram communionem accedere, & alioqui, vt tranſgreſſores præcepti excommunicari debebant iuxta canonem ipſum Apoſtolorum: Et ad hoc confirmandum alia inſuper decreta, & authoritates adducit, quæ videntur ſignificare, excommunicandos, & ab Eccleſia expellendos eſſe, qui, ſacrificio Miſſæ aſſiſtentes, non recipiebant cum cæteris fidelibus ſacram Euchariſtiam. Et ita ſeuerè in hoc præcepto inſiſtit, vt affirmet, etiam pueros debere ſacram Euchariſtiã recipere ſtatim ac ad vſum rationis perueniunt, vt expreſsè dicit Diſcurſu 5. cap. 14. Et, quod mirabile eſt, erroris damnat eos, qui conrrarium docent.

Confirmant tandem aduerſarij totam hanc doctrinam ſupra poſitam à fructibus permaximis, qui in receptione ſacramenti Euchariſtiæ percipiuntur, & à ſumma dignitate huius ſacramenti, quod in ſe continet authorem vitæ, & non ſolam eius virtutem, vt alia ſacramenta, eſtque, ex D. Thoma, aliorum omnium perfectiuum: & eſt vt diximus, ſacramentum ſacramentorum.

Et quo ad fructus, præter gratiæ habitualis augmentum, & primam etiam gratiam, quam aliquando hoc sacramentum confert (non tamen eo modo, quo dicit Pintus, cuius sententiam referemus, & reijciemus in harum aduersariorum solutione difficultatum) pariter confert multa auxilia diuinæ gratiæ ad tentationes vincendas, peccata mortalia vitanda, & virtutes acquirendas. Ideoque dixit Tridentinum; Eucharistiæ sacramentum præseruare à mortalibus; & delere venialia. Quorum deletio est alius huius sacramenti fructus. Ex his videtur sequi, teneri fideles frequentius hoc sacramentum quam quodcumque aliud recipere, ex charitate, nempe, quam vnusquisque exercere debet erga se ipsum, nam hæc virtus vnicuique dictat, non debere, tot tantisque bonis se priuare, sed potius ea, quotidie hoc sacramentum recipiendo, lucrari.

Ex his isti authores inferunt, non posse subordinatos Deo superiores præcipere, ne, qui est ad sacram communionem paratus, ad eam accedat, quia non debet ius istorum præualere iuri diuino, in vi cuius, vt patet ex dictis, singuli fideles in ipsomet baptismo habent facultatem ad hoc Sacramentum quotidie recipiendum; ideoque, inquiunt, nec subditos regulares, quo ad sacram communionem teneri obedire suis Superioribus, nec alios fideles suis Rectoribus, siue Episcopis.

Si diligenter conſiderabimus, quæ iſti authores dicunt, certè reperiemus in multis errare: nec magis huiuſmodi inſtantijs ſuam ſententiam probare, quam alijs probauere; &, in quo omnes aliæ eorum rationes deficiunt, has etiam deficere.

Nos non negamus, nec alij negabunt, habere homines ius ad ſacram communionem percipiendam, quando parati ſunt; hac enim ratione ſupra diximus, non potuiſſe pro ſtatu aliquo perſonarum Epiſcopum Brixienſem generaliter determinare, vt nullus, niſi iſtis, aut illis diebus, ad ſacram communionem accederet. Id quod probandum erit, vtique eſt, per quam præparationem, & quomodo habeat homo huiuſmodi ius, accedendi ſcilicet ſemper, & quotidie ad ſacram communionem, vt ita eius fructus, & mirabiles percipiat effectus: ſupponere hanc præparationem eſſe ſolam carentiam peccati mortalis, eſt ſupponere quod validis rationibus probandum eſſet: & in hoc regulariter argumenta huiuſmodi authorum ſolent peccare. Eo vel magis, quia ſupponunt (vel ad ſummum ex eis aliqui languidè probant) quod eſt contra ſenſum omnium ferè Sanctorum Patrum, & piorum Doctorum, vt iam latè cap. 3. demonſtratum eſt.

Qui enim ita viuunt, vt quotidie mereantur accipere, ideſt tanta puritate, humilitate, ac feruore charitatis, vt digni tanto Sacramento exiſtimari poſſint, hi quotidie poſſunt accipere, hi habent ius

ad

ad quotidie accipiendum, nec debent prohiberi, ne huius Sacramenti maximo fructu priuentur; quamuis rationabilibus etiam ex causis, possit ex istis vnus, vel alter aliquando, siue pro aliquo tempore prohiberi. Non enim alia ratione dixerunt Eminentissimi Patres Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, vt patet ex eorum Epistola ad Episcopum Brixiensem supra posita, quod monialibus, sacram Eucharistiam quotidie petentibus, concedi possit à suis superioribus, si ita eniteant puritate mentis, & feruore spiritus ita incaluerint, vt videantur dignæ quotidiana tanti Sacramenti perceptione. Quid enim significat; ly concedi possit à suis superioribus, nisi quod ab eisdem negari etiam possit; sunt enim verba consultiua, seu permissiua, non præceptiua, sicque superiores etiam circa dignè dispositos remanent in suo iure, vt possint aliquando ob rationabilem, ac rectum aliquem finem sacram eis communionem negare, puta ad experiendam eorum obedientiam, vel humilitatem, & patientiam, siue vt desiderium Sanctissimæ Eucharistiæ in eis crescat, ac dispositio, sicque fructus deinde sit vberior in vna, quam in pluribus fuisset communionibus, vt ex dictis patet per sententiam D. Thomæ, & aliorum Doctorum.

Hac facultate siue authoritate, & superiorum iure, legitur, vsam fuisse Sanctissimam illam cœlesti lumine illustratam Matrem Teresiam erga duas ex

suis

ſuis monialibus, quas, etiam ſi deſiderio quotidianæ communionis arderent, ea prohibuit. Sed hìc facto ipſo conuictus Pater Pintus, fatetur, potuiſſe Sanctiſſimam illam fœminam habere cauſas, & ſufficientes rationes, illis monialibus ac toti etiam communitati ſimilem prohibitionem faciendi. At ſi iſte author fatetur, S. Tereſiam in tali prohibitione non erraſſe, non contra ius illarum monialium egiſſe, ſed bene operatam eſſe, & feciſſe, quod authoritate, & iure ſuperioris potuit facere; cur hoc idem non fatetur de alijs ſuperioribus erga ſuos ſubditos, ſed contrarium de iſtis vniuerſaliter docet, & quidẽ contradictoria videtur loqui: quia ſi vniuerſaliter omnibus negat ſuperioribus, poſſe eos præcipere ſubditis abſtinentiam ſacræ communionis; ſibi contradicit, dum deinde affirmat de vno ſuperiore, nec S. Tereſia alio iure ſiue authoritate illas moniales communione prohibuit quotidiana, niſi ſuperioris, ipſa enim tunc monaſterij regimen habebat. Diſcurſ. 6. c. 5. n. 19.

Et ratio à priori huius noſtræ doctrinæ ſumitur ex eo, quod regulariter, quæ hominibus competunt de iure diuino, dependent à pluribus conditionibus, quæ ſubiacent iuri humano, vel quo ad determinationem, vel quo ad recognitionem. Nam ſacerdotibus de iure diuino competit poſſe abſoluere à peccatis, & nihilominus hoc ius exercere non poſſunt, niſi dependenter à ſuperioribus Eccleſiaſticis,

qui

qui debent (recognoſcendo ſufficientes conditiones in ſubiecto) aſſignare materiam, ſiue perſonas, ſupra quas ius diuinitus eis tributum exerceant. Imo hoc ius ſuperiorum Eccleſiaſticorum non ſolum eſt in ordine ad præcepta diuina poſitiua, vt in caſu noſtro, ſed etiam aliquo modo ſe extendit ad naturalia. Ius naturale dictat colendum eſſe Deum; adimplendum eſſe votum, ſiue iuramentum: & tamen hæc omnia aliquo modo ſubiacent in exercitio iuri humano; ſic poſſunt determinare Prælati Eccleſiaſtici, vt Deus hoc, vel illo modo colatur, nempe per iſtas, vel illas cæremonias; hoc vel illo tempore, iſto ſcilicet, vel illo die adhibeatur cultus per abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, & aſſiſtentiam Sanctiſſimo Sacrificio, ac alijs diuinis Officijs. Similiter poſſunt declarare, hanc vel illam materiam, hoc vel illo tempore eſſe minus aptam diuino ſeruitio, Deoque minus acceptam, vt ſupra diximus ex diuo Thoma, ſicque vota, & iuramenta relaxare: ſiue vt alij exiſtimant, poſſunt authoritate à Deo illis delegata, eius nomine, cuius perſonam gerunt, ſiue repræſentant; declarare, ſeu relaxare conditiones voti, & iuramenti, quibus relaxatis, votum, aut iuramentum amplius non obligat. Sicque declarat Pontifex Deum relaxare obligationem ſibi factam. Vt etiam contingit inter homines; non enim amplius vim habet obligatio facta homini, ſi ille cui facta eſt per ſe, ſiue per

alium

alium eam relaxat ex ſua authoritate. Et hanc authoritatem delegatam, quam iſti authores tribuunt Prælatis Eccleſiaſticis ſupra ius diuinum voti, & iuramenti, multo magis eiſdem tribuere debent (de quibus Deus dixit, qui vos audit, me audit) ſupra ius, quod ſinguli habent, ad recipiendam quotidie ſacram Euchariſtiam.

Si ergo Prælati Eccleſiaſtici non ſolum in iure diuino poſitiuo, ſed etiam naturali authoritatem habent, huiuſmodi iura regulandi quoad operationes exteriores, qua ratione, quoue nouo, & inuſitato iure aduerſarij ſomniant de obligationem ſubditorum ab obedientia Prælatorum in exercitio communionis quotidianæ, etiam regularium, quiqus ſubditi obſtringuntur iure diuino arctiſſimo, ac certiſſimo obediendi in omnibus, ac ſingulis, quæ culpam non ſapiunt. Exiſtimo aduerſarios non eſſe ita extra mentem, vt affirment, ſingulis competere præceptiuè de iure diuino, quotidie communionem accipere: ſed ad ſummum hoc modo aliquibus determinatis temporibus, & in certis occaſionibus, vt authores explicant.

Et quamuis Pintus ſignificet, hoc præceptum quotidianæ communionis deſcendere à Chriſto Domino (vt dictum eſt in obiectione) & deinde confirmatum eſſe, ſiue renouatum ab Apoſtolis, itemque à pluribus Pontificibus, Concilijs, & Epiſcopis: tamen quod autor iſte dicit (excedendo

quidẽ limites in modo exhortandi ad quotidianam communionem) non debet, nec potest intelligi: quod ex iure, & præcepto diuino singuli fideles teneantur realiter quotidie recipere Sanctissimam Eucharistiam; sed quod singulis data sit facultas recipiendi illam; sicque præceptum quod asseritur, reducitur ad consilium, & exhortationem, & vim præcepti rigorosi tunc solum habebit, cum instat periculum, aut Ecclesiæ determinatio, vt significauimus. & alioqui omnes, qui quotidie non communicant (si præceptum deberet intelligi diuerso modo, ac nunc diximus) essent in statu damnationis; & in hac re Dei Ecclesia errasset, & adhuc erraret (quod infra magis considerabimus) quia numquam multis abhinc temporibus præcepit, nec præcipiet adimplementum, imo non videtur curasse obseruantiã talis præcepti, quod de Ecclesia affirmare non solum esset impium, sed hæreticum.

Fatendum igitur est, omnes ad summum, & singulos habere ex iure diuino facultatem accipiendi quotidie sacram Eucharistiam, dum adsunt conditiones requisitæ. Et ecce quomodo hoc ius diuinum reducitur ad permissionem; seu vt dicebamus, ad consilium; cum indeterminatione quantum est ex parte subiecti, quia determinatio non adest, nisi per sufficientes dispositiones. Ex alia parte adest ius diuinum certissimum, ac determinatissimum, scilicet, quod subditi obediant suo prælato in operationi-

tionibus, adminus extrinſecis, quando non adeſt ratio culpæ in eo, quod ſuperior præcipit, etiam ſi præcipiat, abſtinere ab opere bono, vt ſæpe contingit inter regulares.

Vnde oritur (ſuppoſita alia doctrina ab omnibus recepta; vt modo dicam) quam male affirment aduerſarij, ſubditos non teneri obedire ſuis Prælatis quoad frequentiam, ſiue abſtinentiam ſacræ communionis. Nam certiſſimum eſt apud omnes Theologos, tum agendo de legibus, tùm de iuſtitia reſtitutionis, quod non poſſit fieri compenſatio inter certum, & incertum: ſic non poteſt Titius dubitans, Caium debere ſibi centum aureos, retinere centum aureos, quos, certo ſcit, eſſe Caij. Sic etiam in caſu dubio legis, non datur locus ἐπιεικείᾳ, & æquitati, eadem ratione, quia ἐπιείκεια, ſiue æquitas, quæ virtus eſt, non debet ſpoliare legem ſua poſſeſſione certa in caſu dubij (iniuſtitia enim eſſet dubium coæquare certo) & in tali caſu vel recurrendum eſſet ad diſpenſationem, quæ abſolutè ſpectat ad ſuperiorem, quia indiget poteſtate, & iuriſdictione; vel ad interpretationem, quæ aut ſpectat ad eundem, aut ad virum doctum, & prudentem, quia indiget doctrina, & prudentia. Et nullus huiuſmodi doctrinæ poteſt eſſe contrarius, nec contradicit ipſemet Pintus, ſed potius eam adſtruit in diſcur. 5. c. 15. n. 4. vbi affirmat, poſſe cõmunicare, qui dubitat, aliquid deglutiſſe maſticando, vel du-

bitat cœnasse post mediam noctem; nõ alia ratione, nisi quia, vt ibidem ipse dicit, ius communicandi est certum, & alia, de quibus dubitatur, sunt incerta, & certum debet præferri incerto. Igitur in casu dubio legis certæ, nullus potest operari contra legem, eamque ob dubium sua possessione spoliare. Idem omnino erit de duabus legibus, quarum vna est certa, altera vero incerta; idest vna determinata, tam pro tempore, quam pro operationibus, ad quas se extendit; altera verò minimè, sed tam quo ad tempus, quam quo ad operationes, vel saltem quo ad circumstantias earum est indeterminata. Hoc secundo modo se habet ius diuinum, quod singulis competit de communione quotidiana, vt patet ex dictis; primo modo se habet ius diuinum de obedientia præstanda superioribus, estque hoc ius veluti lex negatiua, quæ semper obligat, videlicet vt nunquam non obediamus superiori præcipienti, quæ peccata non sunt, quia malum est superiori non obedire, & malum lex præcipit, vt semper vitemus. Alterum vero se habet, vt lex affirmatiua, quæ non præcipit omnes actiones bonas, neque pro omni tempore, quia sicuti omni tempore tenemur abstinere à quocumque malo, ita non omni tempore tenemur facere quodcumque bonum; hoc vel maximè quando ius, siue lex non est præceptiua, nisi pro aliquo determinato, & extremo tempore, sed regulariter consultiua, hortatoria,

toria, siue permissiua, ita vt possit quicumque tali iure, siue lege vti, aut non vti, & multo magis si ad vtendum indigeat alijs conditionibus, & dispositionibus, quæ authoritati subiacent, & iurisdictioni superiorum, vt regulariter se habent actiones, & operationes extrinsecæ subditorum, cuiuscumque sint conditionis: quia superiores sunt, qui tanquam regula viua, & visibilis subditos in suis actionibus dirigunt ad vitam æternam; vt dixit Apostolus ad Hebræos 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.]

Qua igitur ratione, quæ veritatem, aut veritatis laruam secum ferat, affirmari potest, subditos non teneri obedire suis superioribus in materia communionis; ita vt si superior regularis præcipiat in virtute obedientiæ, ne tali die Caius subditus communicet, sed potius in viridario laboret, Caius non teneatur obedire, sed consultiùs, & melius erit tunc ad sacram communionem accedere, quam maxima cum vtilitate, & animæ fructu exercebit, dicunt assertores quotidianæ communionis? Ego autem dico, vt dicunt viri sancti, & docti, Caium in tali casu grauissimè peccare; & in iudicium, & condemnationem huiusmodi communionem exercere: illi cum suo Sanctio affirmant Caium acquirere meritum ad ascendendum in Cœlum; & ego cum viris sanctis, & doctis assero acquirere demeritum,

ritum, ad descendendum in infernum. Est ius Dei certum, & determinatum per vocem suorum vicariorum, quibus in rebus subditi tenentur obedire. Est ius Dei posse recipere sacram communionem, regulariter indeterminatum, determinabile ab eo, qui potestatem habet regulandi subditos in externis eorum operationibus à Deo indiuidualiter non determinatis; igitur hoc secundum ius debet subiacere alteri, & non è contra, vt dicunt aduersarij.

Huic doctrinæ maximam firmitatem, & certitudinem afferunt Dei verba per Samuelem contra Saulem prolata in materia de qua agimus; ait enim Propheta. Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.] Si hęc verba attentè considerassent aduersarij, & si benè perpendissent, quid importat ius obedientiæ, certè ita facile, ac liberè numquam dixissent, subditos non teneri ex iure diuino in communionis negotio superioribus obedire; quorum voluntati repugnare, quorum iussionibus nō acquiescere peccatum committitur quasi ariolandi, quasi idololatrandi, etiam si repugnare, siue non acquiescere consistat in eo, quod quis sacrificium Deo offerat, quod illi obsequia religionis, quæ maiora esse, aut excogitari

1. Regum c. 15.

pos-

possint, exhibeat. Et ecce subdit Propheta; quod nos supra dicebamus; Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus.] Pro eo quod subditus contemnit voluntatem superioris, & Dei vicarij, contemnit eum Dominus, vt non meritum ex communione, & ius ad cœleste regnum, sed demeritum, & ius ad infernum acquirat.

Præcepit Sauli Samuel, vt omnia, quæ Amalec essent, destrueret, nec cuiquam parceret, aut eorum quidquam, quæ Amalec essent, concupisceret. At Saul pietatis specie, ad cultum, & honorem Deo præstandum, primitias tulit eorum, quæ cæsa sunt, & ex omnibus optima, & optima animalia reseruauit, vt Deo suo in Galgalis immolaret. Quis non iudicaret, Saulem prudenter, & piè hac in re egisse, & præmium, ac Regni confirmationem pro hac erga Deum pietate accepturum esse: & tamen certissimum est, imprudenter, ac impie operatum esse. Non enim cogitationes hominum vanæ Dei iudicio, ac præcepto præferendæ sunt; non quod homini bonum apparet, sed quod illi Deus per suum vicarium parat, præponendum est; non quod certum non est, sed ex consilio potius est, magis ponderare debet, quam quod certum, & ex præcepto est; non quotidiana communio; quæ homini permittitur, aut consulitur, superioris voluntati, quæ exhibetur, & præcepto statuitur, vllo modo

1. Regum c. 15.

Psal. 93.

præ-

præualere debet, nec fine magno iustitiæ, & pietatis detrimento præualebit.

Et istis, qui ita agunt, qui taliter ordinem iustitiæ inuertunt, bene aptari potest, quod ipsi contra nos immerito iactant. Mendaces filij hominum in stateris. Istorum namque ponderatio semper inuenitur minus habens. Minus enim certo habet incertum; minus determinato habet ius indeterminatum: at in istorum authorum statera contrario modo res apparet; minus creaturæ commodum Dei honore, illius vtilitas, istius reuerentia minus habet; & tamen non ita in eorum statera, vbi honor Dei in diuinissimo altaris Sacramento deprimitur, & creaturæ vtilitas eleuatur; vbi ius obedientiæ contemnitur, & sumendæ Eucharistiæ ius commendatur, & hinc destruitur quod Deo certissimè in suis vicarijs debetur, vnde iustissimè spretum se putat: quia istos, qui spernit, se spernere ipse dixit; atque ita dignitas Dei summa vilescit, dum ponderis, quam creaturæ vtilitas, minus habet.

Psal. 60.

Dan. c. 5.

Verùm si ita sagaces multi ex contrarijs authoribus fuerunt, vt adinuenire potuerint ex summa Eucharistiæ, supra cætera Sacramenta, excellentia, & ex lege charitatis, quam debet exercere vnusquisque erga se ipsum; obligationem quotidie hoc Sacramentum recipiendi, & ius, quod ad illud singuli semper habent; cur non potius inspicere, ac

ad

adinuenire potuerunt, qua maiori reuerentia, qua maiori deuotione, & humilitate, quam alia, hoc esset Eucharistiæ Sacramentum à singulis recipiendum? vt quò magis alia excedit, eo magis ad hoc, quam ad alia dispositio esset maior. Si ex fructuum excellentia siue effectuum huius supra reliqua Sacramenta, inferre potuerunt maiorem huius, quam aliorum Sacramentorum frequentiã, quæ hominibus conuenit: cur non etiam intulerunt excellentiam præparationis in anima per charitatis feruorem, & omnium virtutum exercitium, necessariæ, ad tales tantosque effectus huius præcipui, & diuinissimi Sacramenti cum eiusdem animæ vtilitate recipiendos?

Melius certè intulissent, si affirmassent, non sufficere solam carentiam culpæ mortalis ad hoc recipiendum, etiam si ad alia sufficiat Sacramenta ob summam huius super alia excellentiam Sacramenti, ob diuinam Personam, quæ in isto continetur, ob puritatem corporis, & candorem animæ, quæ eadem Diuina Persona requirit in illis, qui eam sunt in diuinissimo Sacramento accepturi, ad hæc enim cunctis hominibus demonstranda, non quamcumque fœminam, cum ad eos redimendos in hunc Mundum intrare complacuit, sed illam elegit, quæ & corpore mundissima, ac purissima erat, quia, ex sententia Chrysostomi, super omnem creaturam castitatem seruauit; & anima can- Apud Metaphrast.

didissima, ac fulgentissima; quia omnibus virtutibus erat ornata.] Hæc Diuina Persona Sponsus
Cant.c.2. ille est, qui liliorum candore pascitur, non impuritatum foetore.

Dicit Pintus in Discursu 4.cap.14.n.1. Eucharistię Sacramentum eleuare homines ad ordinem hypostaticum, & quodammodo diuinum, & num. 3. appellat Eucharistiam, authoritate multorum Patrum, extensionem quamdam Incarnationis, ad quæ magis confirmanda plures Sacræ Scripturæ adducit authoritates. At si ita res se habent; cur non requirit similem præparationem in eo, qui sacram est Eucharistiam realiter recepturus, quæ fuit in Beata Virgine ad Verbum Diuinum recipiendum, & Christum corporaliter generandum; hæc namque, etiam si esset gratia plena, speculum sine macula, & imago bonitatis diuinæ, nihilominus ad Incarnationis Mysterium, ad Verbum Diuinum in suum vterum recipiendum, adhuc aptata est, cooperante (operante nempè simul eiusdem Virginis actione) Spiritus Sancti virtute. Si ita altè sentiunt Sanctij sectatores, ita magnificè loquuntur, (equidem, vt debent) de Eucharistiæ Sacramento, & de effectibus eius, vt eos, qui illud recipiunt, Beatæ Virgini in Mysterio Incarnationis æquiparent; quare similiter non requirunt eiusdem quodammodo Virginis præparationem in ijs, qui debent recipere hoc Sacramentum, quandoquidem idem

Ver-

Verbum, eumdemque Christum Virginis filium recipiunt: Beata Virgo etiam si purissima, vt inquit Chrysostomus, & virtutibus ornatissima esset, adhuc Spiritu Sancto, vt dicebamus, cooperante præparatur, vt dignum habitaculum Verbi Diuini effici mereretur. Et homuncio impurissimus, vt idem Verbum in se per diuinissimum Sacramentum recipiat, aliam præparationem habere non debebit, quam mundum esse, seu immundum non esse fæcibus quibusdam crassioribus? Et putandum est, quod qui hac tantummodò cum dispositione sanctissimum recipit Eucharistiæ Sacramentum, magnificos, ac diuinos effectus extensionis incarnationis, & eleuationis ad ordinem hypostaticum, & deificum sentiet? Qui supra statum gratiæ per auxilia Spiritus Sancti amplius diuinis actibus non se disponet, effectus certè tantæ sublimitatis non obtinebit. Qui Dei Sacerdotibus, & Ecclesiæ Prælatis in negotio sacræ communionis, vt in alijs omnibus, non obtemperabit, similem Beatæ Virgini, in Eucharistiæ sumptione, dignitatem non habebit, quæ non prius meruit Verbum diuinum in se recipere, suoque in vtero corporare, quam per obedientiam Dei ministri acceptaret mandata: vnde dixit Augustinus. Non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.] Hinc cognosces, quanto aptiorem contrarij, ac tutiorem duxissent consequentiam, si dixissent: nullum debere hoc Sacra- Augustin. serm. 13. de temp.

mentum recipere, sine virtute, siue meritò obedientiæ, vt ita aptitudo cresceret, ac dispositio ad corpus illius recipiendum, qui per obedientiam Matris incarnatus est, & pro obedientia Patris mori dignatus est: Factus obediens vsquè ad mortem, & mortem Crucis: qui tanti præcipuam hanc fecit virtutem, vt in sacris Codicibus non minus, quam charitatem suam erga homines testatam, & commendatam esse voluerit: & nos homunciones paruæ, & vix alicuius minimæ capacitatis, nostris cogitationibus, quæ vtique nullius sunt soliditatis, sed vanæ sunt; astruendo iura diuina, ad diuinum honorem non attendimus, diuinum ius obedientiæ contemnimus, & ad nostram solam vtilitatem attendimus. Non quę Iesu Christi, sed quæ nostra sunt quærimus.] Expectantes à communionum frequentia maximam vtilitatem, & animæ fructum: Sed vereor, ne dum rerum ordinem inuertimus, sicque minus aptè ad sacram Mensam accedimus, non fructum animæ, sed fracturam legis, & animæ ruinam, per admissionem grauis culpæ, quæramus.

Ad Phil. c.2.

Psal.93.

Ad Phil. c.2.

Si ita, talique cum periculo operari, spectet ad propriæ charitatis legem, vel è contra, nemo est qui non agnoscat. Se vnusquisque; vt iam diximus; ad diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum disponat, & tunc, illud recipiendo, proprię charitatis implebit præceptum, quod veram dictat, & non appa-

apparentem animæ vitilitatem, nec vera erit, si ad diuinum honorem simul, & ad hunc etiam primo, ac præcipuè in nostris operationibus non attendimus.

Verè graui, & pigro corde filij hominum in ijs, quæ spectant ad diuinam venerationem, & Dei cultum, sed perspicaces, & veloces in his, quæ ad propriam pertinent vtilitatem, & commodum, ad quæ tamen non pertingent, qui hæc inordinatè ex sui, & non ex Dei quærunt amore. Licebitne præferre omnium creaturarum commodum, & vtilitatem etiam permaximam Dei honori, eiusque reuerentiæ in re quantumuis minima? Licebit cum distractionibus voluntarijs, & cum venialibus culpis quodcumque exercere Dei opus? Minime affirmabit sensatus quisque. Quia scriptum illud esse, nemo ignorat, Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Et si ita exercere quodcumque Dei opus non est licitum, licebitne ita hoc tam Sanctum, tamque diuinum opus exercere, recipere nempe Sanctissimum Christi corpus in diuinissimo Eucharistiæ Sacramento? licebitne hoc ita exercere ad solam hominum vtilitatem: imo vt addunt assertores quotidianæ communionis; etiam cum passionum motibus, cum venialium commissione in ipsamet actione recipiendi diuinissimum Sacramentum, & cum negatione obedientiæ Pastoribus, ac Prælatis? Putandumne est sufficere: vt affirmant

Psal.4.

Ier.c.48.

dicti

dicti authores; solam gratiam habitualem in homine, etiam si tot sit, tantisque iam dictis maculis, & imperfectionibus obumbrata, vt Eucharistiæ Sacramentum supradictos mirabiles, & diuinos effectus operetur, illis nempe similes, quos Beatissimæ Virgini Diuinum Verbum, carnem ex ea accipiendo, communicauit?

Sed esto, quod qui ita accipit sacram Eucharistiam; vt contendunt aduersarij; aliquem eius fructum obtineat, augmentum nempe gratiæ habitualis. Tantine faciendus est fructus, quem aliquis ad summum lucraretur, vt inquiunt Theologi, ex opere operato, per talem receptionem Sacramenti, si tamen lucraretur, vt parum, aut nihil curet, in ipsa receptione culpam committere, & offensam, licet venialem in Dei honorem? quæ nec ad totum mundum saluandum, ex Augustino, committi debet. Itane hoc sanctum Dei opus, tanta cum negligentia, tanta cum irreuerentia, & obedientiæ contemptu, exercendum est?

Act. Apostol. c. 14. Hic certè exclamare licebit cum Apostolo. Et quidem huius temporis ignorantias despiciens Deus, & eos, qui ita docent, & qui ita agunt, simul despicit: quia qui ita docent, qui ita agunt videntur saltem implicitè, siue interpretatiuè Deum contemnere; 1. Reg. c. 2 & qui contemnunt eum, erunt ignobiles, nec in regnum perducendi, in quod non nisi virtutum nobilitate præditi, ingrediuntur. Sed con-

concedamus, quod non contemnant Deum: minoris ſaltem hunc, quam ſeipſos faciunt; minoris Dei reuerentiam, quam ſuum commodum; minoris Dei honorem, quam ſuam vtilitatem; primario ſibi regnum quærunt, ſecundario regnantem in illo; quæ cum inuerſa ſint, peruerſa erunt: nec poterunt hi eſſe, ex generatione quærentium Dominum, ſed quęrentium ſeipſos; nec poterit ſupremus, & iuſtus Iudex; qui conſueuit animam inanem vitijs, & Deum eſurientem ſaturare bonis; cupiditatem adimplere animarum ſe ipſas quęrentium, & quæ ſuis imperfectionibus commodiſque ſunt plenæ. Iuſtitiæ ordo expoſcit, has Deum in manu conſilij ſui relinquere, vt in neceſſitatibus ſe ipſas protegant, ſi valent, vel ad idola clament ſuarum paſſionum, & commoditatum, quæ coluerunt, vt ſurgant, & auxilium præbeant, & ſi hoc conferre nequibunt, pereat ſpes earum, quæ iuſtitiæ regulas non ſeruauerunt; ſed ordine inuerſo, affectu veluti fœmineo, & inordinatæ, vt inquit Ambroſius, cupiditatis, prius regnum, quam laborem, prius præmium, quam meritum, potius dona quam donatorem quæſierunt, pluſque celſitudinem, honoremque proprium, quam ſummam Dei bonitatem, bonorumque omnium largitorem dilexerunt.

Pſal. 23.

Luc. c. 1.

Deut. c. 32

Lib. 5. de Fide ad Grat. c. 2.

Attende quęſo anima fidelis. ita non agas, talem doctrinam ne ſequaris, quia per eam Regnum Dei,

Ad Hæb. c.13. Dei; quod quæris, non consequeris, dum à Deo, recto suo iudicio, contemneris. *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci*, inquit Apostolus, quia Luc.c.1. numquam doctrinarum nouitates in rebus moralibus per viam pacis duxerunt Christi fideles, sed Puer.c.14. sæpe in viam aliam adduxerunt, quæ videtur homini recta, dum formam pietatis ostentat, nouissima vero illius deducunt ad mortem: via autem recta in qua, nec etiam stultus transiens, errabit per Isa.c.35. eam, quæque est, & vocabitur via sancta, illa vtique est, quam Sancti Patres, & omnes pij, & prudentes authores docuerunt, quam ex eorum doctrina nos supra ostendimus: per hanc nullus pollutus vitijs, nullus inquinatus impuritatibus transibit, quia purum, & sanctum, atque à vitijs, & culpis expeditum, & virtutibus ornatum, necesse est, vnumquemque ad Christi corpus accedere, taliterque dispositum intra seipsum recipere: per eam viam incedendo, quam Sancti omnes indigitauerunt, ad Christi Sacramentum, cum fructu percipiendum, peruenitur, nec quisquam, quamuis stultus, per hanc errabit viam: per illam vero, quæ non docetur à Deo per suos vicarios, ac ministros, sed secundum vanas hominum cogitationes, apparet homini bona, errabit; etiam si sibi sapiens videatur, qui incedit per eam; vt Saul errauit, dum vanas suas cogitationes Prophetæ Sanctissimi monitis, ac iussionibus preferre maluit: & attende, quod

quod ſpecie pietatis Sacrificij nempè Deo offerendi, indeque præmium conſequuturus, id fecit, vt hodie multi faciunt, qui Saulis pietatem geſtiunt imitari, & Superiorum; ac Sanctorum Monita nihili faciunt, & fortaſſe etiam contemnunt ob inanes ſuarum cogitationum fallacias; ſed tandem deceptioni iſtorum redargutio, vt Sauli, vicè laudis, & poena pro præmio, fortaſſe reprobationis, & eiectionis à regno, quod Sacramentis, & Sacrificijs modo incongruo, & contra Dei præcepta poſſidere parabant, erit parata.

Impoſſibile prorſus eſt, incedere quemquam per viam pietatis, ſi hæc tandem ad veram pietatem non ducit, ideſt ad hominem virtuoſum, & perfectum conſtituendum, quia Pietas, vt inquit Ambroſius, virtutum omnium fundamentum eſt: Et ad omnia vtilem eam dicit eſſe Bernardus; ſed quando nam hominem ad veram pietatem, & perfectionem perducere potuit doctrina illa, quæ diſtractiones, imperfectiones, & veniales culpas haud curat, obedientiam parui pendet, & omnimodam cordis, & corporis puritatem contemnit? Ex qua tamquam ex abyſſo tot inconuenientia, tot abuſus, totque alia emergunt mala, quæ vix enumerari à quoquumque, aut credi poſſunt ab ijs, qui aliquam eorum experientiam non habent, vt aliquibus in regnis habent pijſſimi, & doctiſſimi viri, qui ea, quæ in praxi ex dicta doctrina oriuntur mala ad-

In ep. ſuper Pſ. 118. ſerm. 21.

Serm. 2. de Aſsumpt. B. M. V.

mirantur, & deflent amare, quorum nos aliqua in sequenti capite enumerabimus.

Sed adhuc non discedamus ab obedientia; Quæ sola virtus est, vt Magnus Gregorius ait, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.] Sicque pretium eius magni ponderis est, nec ita paruipendenda, vt aduersarij videntur facere, sed omni conatu, totisque viribus defendenda, ne peregrinorum iurium excogitatione in hac hodie, cras in illa materia ius obedientiæ labefactetur, atque ita subditorum obedientia erga suos prælatos quotidie minuatur, & tandem ad nihilum, aut penè nihilum redigatur.

Iam diximus non debere ius incertum præferri iuri certo, vt ipsemet Pintus fatetur in disc. 5. cap. 15. num. 4. diximus etiam, ius obedientiæ esse certum, non ita verò ius communionis, saltem quoad tempus, sed quoad hoc pendere à circumstantijs, & determinationibus prælatorum; quæ doctrina si vera est, vt est verissima, multæ rationes, illationesque permultæ aduersariorum erunt penitus nullius momenti, ac inutiles. Vt hanc veritatem, quam supra sufficienter probauimus, hìc ita confirmemus, vt euidens fiat. Adducam primo doctrinam Angelici Pręceptoris 3. p. q. 80. ar. 11. vbi Sanctus quærit: Vtrum liceat omnino à communione cessare, & respondet, Non licere: & ad argumentum eorum, qui instant ad hominem contra S. Doctorem, nimirum,

mirum : licitum eſt cuilibet abſtinere ab his, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, (vt ſupra Sanctus Doctor affirmauerat de hoc Sacramento) ergo licitum eſt omnino ab huius Sacramenti ſumptione ceſſare. Reſpondet Sanctus, hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium, vt Baptiſmus, ſine quo non poteſt eſſe paruulis ſalus, bene tamen ſine Sacramento Euchariſtiæ. Ex qua doctrina deducitur hoc Sacramentum non pueris, ſed adultis eſſe neceſſarium, nec iſtis ita, vt quoad tempus ſit omnibus realiter ſemper neceſſarium, vt aperte docet in corpore ar. S. Doctor : vbi dicit, eſſe ſemper neceſſarium ſpiritualiter, & in voto, non vero realiter, & in exercitio ; & hoc modo Sanctus explicat Chriſti verba adducta ab aduerſarijs, ad probandum præceptum diuinum de quotidiana Euchariſtiæ ſumptione : vnde cum in principio corporis dixiſſet de ſumptione ſpirituali, ad quam omnes adulti ſemper tenentur, vt Chriſto incorporentur, quia hoc eſt, inquit Sanctus, Chriſto incorporari : in fine tandem ſic ait : Homo tenetur hoc Sacramentum ſumere non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Lucę 22. Hoc facite in meam commemorationem:ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt determinata tempora exequendi Chriſti præceptum.]

Et ecce quomodo clariſſimè affirmat D. Thom. Præceptum Domini non eſſe de quotidiana com-

munione realiter exercenda, sed hoc modo solum, determinato tempore, quod tempus, quando scilicet realiter exerceri communio debeat, determinat, inquit S. Doctor, Ecclesia per suum statutum. Qua doctrina egregiè Angelicus confirmat, quod supra dicebamus, videlicet, Ius diuinum aliquo modo pendere à prælatis Ecclesiæ, nimirum in determinatione circumstantiarum, & temporis: Iura enim diuina positiua non obligant pro semper; sic ius siue præceptum diuinum amandi Deum non obligat ad semper, & continuatè actum amoris Dei eliciendum, sed in aliquibus occasionibus, & necessitatibus; ita pariter de alijs similibus; & hac ratione præceptum Ecclesiæ de communione fidelium, quo determinatur præceptum Diuinum, fuit diuersum, & varium iuxta diuersitatem, & varietatem temporum, & personarum, aliarumque conditionum, ac circumstantiarum. Sic in principio Ecclesiæ; vt iam diximus ex SS. Bonauentura, Thoma, & alijs. Quando fideles erant quo ad multitudinem pauperes, seu pauci, sed diuites quo ad feruorem charitatis, & aderat quotidianum periculum mortis ex immanitate tyrannorum, præceptum Ecclesiæ determinatiuum Diuini præcepti fuit de communione quotidiana, quamuis hæc etiam determinatio, tunc aliquo modo fuerit limitata, vt supra significauimus. Deinde, quia charitas imminuta est in credentibus, & persequutio

con-

contra fideles maxima ex parte cessauit: hæc determinatio redacta est ad tres tantum dies anni: tandem ad vnum; cum occasiones persequutionum omninò cessauerint, & charitas Christianorum penè totaliter refriguerit.

Quod autem præceptum diuinum non debeat sumi, aut intelligi, nisi eo modo, quo nunc explicuimus, nempè quod in exercitio dependeat à determinatione Prælatorum Ecclesiæ. Probatur, tum ex eo quod supra notauimus, scilicet quod alioqui Ecclesia Dei tanto tempore vel hoc præceptum ignorasset, vel nullam adhibuisset diligentiam, nec vnquam suam authoritatem applicuisset, vt à fidelibus adimpleretur. Tum etiam quia potestate, quam à Christo Domino accepit, non ad destructionem, vt inquit Apostolus, sed ad ædificationem; ad destructionem potius vsa fuisset, quam ad ędificationem; quia sæpè decreta, & leges per Summos Pontifices, & Conciliorum Patres effecit, quibus prohibuit permultos sacra communione ob delicta animæ, aut corporis immunditias, vt patet ex supradictis, quas determinationes facere Ecclesia non potuisset; essent enim in destructionem animarum, quia essent in destructionem præcepti diuini de communione quotidiana, ad quam omnes, vt inquiunt aduersarij, post confessionem suorum quorumcumque peccatorum, habent ius, imò præceptum à Deo de perceptione cœlestis panis in

1. Corint. c. 2.

com-

communione, vt hoc cibo spiritualiter viuant. Sicque huiusmodi leges Ecclesię essent omnino inutiles, imò iniustæ: tum quia opponerentur præcepto diuino; tum etiam præcepto charitatis, quam vnusquisque tenetur habere erga se ipsum, procurando sibi bona, præcipuè bona animæ, eò vel magis bona tam eximia, & Eminentia, vt supra dictum est, prouenire homini ex sumptione sanctissimæ Eucharistiæ. Tum quia opponerentur legi iustitiæ, quia impedirent homines, ne possent vti re, quæ sua est, nempè iure sumendi quotidie Eucharistiam à Deo ipsis concessam, dum sine graui peccato sunt, independenter à quocumque (hac enim ratione dicunt aduersarij, non teneri subditos obedire superioribus, & prælatis in negotio communionis) hæc autem affirmare de Ecclesia, eiusque legibus, non solum esset stultum, sed impium, & hæreticum: ergo necesse est fateri, Ecclesiam semper sapienter, sanctè, ac prudenter operatam esse, & similes esse, ac fuisse omni tempore eius leges, vt semper habitæ sunt, & vniuersè nunc à fidelibus habentur. Hinc infertur, absurdam, & falsam esse doctrinam illam, ex qua supradictæ consequentiæ contra determinationes Ecclesiæ deducuntur, & verissimum esse, quod nos per nostram doctrinam affirmauimus.

Hæc omnia, quæ iam dicta sunt, roborari adhuc possunt consuetudine, & vsu vniuersalis Eccle-

siæ.

siæ. Nam quis vnquam fidelium scrupulum fecit, si quotidie sacram Eucharistiam non recepit? quis vnquam de transgressione huius præcepti se accusauit confessarijs? aut quis istorum poenitentes vnquam interrogauit, si adimpleuerint præceptum de quotidiana communione? nec aduersarij hoc faciunt, imò in rei veritate nec ipsi id sentiunt, quod in suis libris scripserunt; nempè præceptum quotidianæ communionis, ita esse diuinum, & à Christo Domino descendere per loquutiones indefinitas, vt per istas significetur, cibum spiritualem corporis Christi esse singulis hominibus quotidie necessarium, non minus quam corporibus est necessarius quotidie cibus materialis, & membris viuis totius corporis alimentum; vnde sicut corpora debilitantur, & moriuntur, si suum alimentum quotidianum non habent, ita animæ si quotidie non habent suum cibum Eucharisticum. Videatur Pintus, qui sæpissimè hanc doctrinam repetit in suo Thesauro; nam cap. 1. primi discur. affirmat: ideo Manna (quod erat Eucharistici panis figura) habuisse virtutem limitatam, sustentandi scilicet vitam vno tantum die, qua ratione singuli de populo Hæbraico quotidie Manna indigebant, vt singulis de populo Christiano significaret, quod si vitam spiritualem conseruare volunt, indigent quotidie cibari hoc coelesti Manna Corporis Christi. Hoc idem repetit cap. 3. secundi discur. affirmando, & confirmando authori-

tate

tate Patrum, & Conciliorum, Euchariſticum panem eſſe neceſſarium, vt viuamus Chriſti vitam: Et ijs, qui rſpondent, hoc argumento non probari, Debere omnes quotidie Euchariſtiæ Sacramentum ſumere. Replicat Pintus, hanc reſponſionem eſſe contra Concilia, & Patres: & in diſcur. 4. cap. 2. confirmat iterum hanc ſuam doctrinam ex peccato Angelorum, & primorum hominum, qui (vt ipſe dicit) ideo peccauerunt, & ſpiritualiter perierunt, quia primo die ſuæ creationis cibum illum non comederunt, quem ipſis Deus in figura Euchariſtici Sacramenti deſtinauerat.

Ex quibus, & alijs multis loquutionibus eiuſdem tenoris huius authoris, & aliorum, qui per eandem incedunt ſemitam, clarè infertur, quod qui quotidie non communicant, ſine infirmitate peccati, & animæ morte eſſe non poſſunt: ſicque tùm ex obligatione parendi præcepto diuino, tùm ex debito vitandi periculum grauis culpæ, debent iſti authores affirmare, quod qui quotidie ſacram Euchariſtiam non recipiunt, vt præceptorum tranſgreſſores grauiter peccant, quod quidem aſſerere, non ſolum eſſet contra determinationes Eccleſiæ, ſed videtur eſſe omnino ridiculum, & vanum; eſtque manifeſtè contra vniuerſalem conſuetudinem, & contra experientiam, cum multi diu ſine graui culpa vitam traduxerint, qui quotidie ſactam Euchariſtiam non receperunt.

Et

Et quonam modo tot fuissent ab Ecclesia Dei in catalogo consripti Sanctorum, quos veneramur, vt Sanctos, qui quotidie sacram Eucharistiam non receperunt, sed vel semel in hebdomada, vel in mense, & aliqui solummodo in fine vitæ, vt ex ijs multi, qui eremum incoluerunt: historiæ legantur Sanctorum, ex quibus manifeste patebit, permaximam semper fuisse in omnibus, & singulis varietatem quoad Sanctissimæ communionis frequentiam. Vnde sequitur nullam esse culpam, quotidie sacram Eucharistiam non recipere; neque præceptum Christi esse de quotidiana communione realiter exercenda, sed ad summum spiritualiter, vt dicebat D. Thomas: nec tantam esse necessitatem sumendi quotidie realiter Christi corpus, vt sine tali sumptione viuere vitam spiritualem, & vitam Christi fideles eius non possint.

Ex iam dictis patet, quam vim habeat argumentum Pinti, quod ipse contra nostram doctrinam sæpe in suo Thesauro repetit, sed certè contra ipsius sententiam, ac doctrinam est, & pro nostra maximè facit. Nam certissimum est apud dialecticos, loqutionem indefinitam sumi vniuersaliter in materia solum necessaria, vt si dicatur; Homo est rationalis; sumi, seu intelligi debet hæc propositio de omnibus, & singulis hominibus. at verò in materia contingenti, sumi solum debet particulariter, vt si dicatur; Homo est albus. Debet hæc

propositio intelligi de aliquo, siue aliquibus, & non de omnibus hominibus. Cum igitur Christi loquutiones de sumptione sui corporis quoad circumstantias, & temporis determinationem sint in materia contingenti, vt sæpe probatum est, sequitur quod debeant sumi, seu intelligi particulariter, videlicet pro dignè dispositis, & pro diebus determinatis vel à rectoribus, & prælatis Ecclesiæ, vel à necessitate personarum; vt iam diximus.

Et ex his deducitur Christum Dominum non institutisse Eucharistiam in materia cibi, & potus, vt significaret, quod sicut corpora quotidie indigent suo cibo, vt vitam naturalem, & animalem viuant, ita animæ cibo eucharistico, vt viuant spiritualem, & diuinam vitam; vt volebat Pintus; quia hoc modo per habitum gratiæ, & charitatis, & animæ, & Angeli viuunt: sed vt significaret, suum corpus, & sanguinem producere in nobis effectus suos per modum cibi, & potus, sed nimis diuerso, nimisque excellentiori modo, quam cibus, & potus materialis producit in corporibus; vt, quantum distat Eucharisticus cibus animarum ratione suæ spiritualitatis, & diuinitatis à cibo materiali corporum, tantum etiam eius effectus; tùm quo ad modum, tum quo ad præstantiam distent. Nam iste cibus non conuertitur; ex sententia Augustini, in substantiam manducantis, vt cibus materialis, & vsualis, sed è contra; sic enim inquit Sanctus in per-

sona

ſona Chriſti. Non tu mutabis me in te, ſicut cibus carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.] Nec mirum hoc eſſe debet, fatetur Pintus in diſcur.4.cap. 11.quia cibus iſte, cum diuinus ſit, diuinos, & mirabiles habet effectus, & cibo communi ſæpe contrarios; inter quos, hic author; vt magis conſequenter loqueretur; affirmare debebat. vnum eſſe, virtutem ita debilem, & limitatam non conferre animabus, vt cibus vſualis corporibus, qui paruo tempore vitam iſtis conſeruare poteſt; ſed firmam, fortem, & infinitam, aut pene infinitam, itaut ſemel, aut raro ſumptus vitam animabus ſemper conſeruare valeret; & in hoc noſtrali, & communi cibo omnino diſſimilem eſſe, atque contrarium: neque iſto in effectu conueniens erat, ei aſſimilari, ſed potius cibo illi arboris vitalis, quæ erat in terreſtri Paradiſo; eratque ex ſententia omnium authorum, & etiam ipſius Patris Pinti Euchariſticæ arboris figura. Vnde ſicut illius arboris fructus ſemel, aut raro ſumptus vitam diu, aut ſemper ex ſua virtute in hominibus conſeruabat, vt fere communiter ſentiunt Doctores, ita arboris Euchariſticæ diuinus fructus: ille quidem corporum, iſte animarum. Imo ſi vera eſt doctrina, quam tradit D. Thomas 1. par.q. 97. ar.4.in corp. ſemel tantum in præſenti vita ſumptus poſſet abſolutè, quantum eſt ex ſua virtute, conſeruare ſemper vitam animæ. Quia quanto aliqua virtus eſt maior, inquit S. Doctor,

Lib.1.Cōfeſs.c.10.

tanto imprimit durabiliorem effectum, & hinc ipse infert, non indiguisse in statu innocentiæ homines sæpe fructu arboris vitalis; vt aliarum arborum Paradisi fructibus indigebant, quia virtus illius, licet finita, tamen maior erat aliarum arborum virtute: si etgo illius arboris virtus, quia magna erat, poterat fructus eius, aliquando sumptus, diu conseruare vitam corporum: poterit certè fructus habens virtutem infinitam; vt dictum est, habere fructum Eucharisticæ arboris; semel sumptus, semper conseruare vitam animæ: vt conseruauit Eliæ Prophetæ, qui in fortitudine subcinericij panis, quem Angelus attulerat, eratque huius Eucharistici cibi figura, vt cum alijs Doctoribus ipse Pintus fatetur: Ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Idest per totam vitam, vt exponit D. Thomas, & non dissentit Pintus, quoniam in vltima nocte peruenit ad montem Dei, nempe ad gloriam.

3. Regum c.19.

Hac fortasse iam dicta ratione aliqui affirmarunt; Nec etiam teneri saeram Eucharistiam sumere, qui in mortis periculum incidit, si semel in vita eam sumpserit, quia cum infinitæ sit virtutis, non debet præceptum Christi intelligi, nisi vt semel in vita ex obligatione eam homines sumant. Ita S. Bonauentura; Siluester, Armilla apud Suarez de Eucharistia disp. 69. sec. 3. Eidemque opinioni multum fauet Sà Verbo Euchar. num. 1. Hic autem nos ista attulimus, non vt suadeamus, semel in vita, aut

raro

rarò ſacram fideles Euchariſtiam ſumere ; quam, potius optamus, & hortamur, vt ita ſint omnes quotidie parati, vt quotidie recipere poſſint, quia panis iſte cœleſtis etiam ſi virtutem habeat infinitam, & poſſit ſemel ſumptus vitam ſpiritualem ſemper conſeruare, tamen quia, quantum eſt ex ſe, panis quotidianus eſt, vt diximus ex SS. Thoma, & Bonauentura, & nouam ſemper, ac maximam vtilitatem ſpiritualem, ſancta cum diſpoſitione illum ſumentibus, communicet, ideo vtile eſt hominibus ; inquit D. Thomas, hunc cœleſtem panem quotidie ſumere: quia etiam ligni vitæ fructus magis proderat ſæpe ſumptus, quamuis ſufficeret rarò ſumptus ad diu conſeruandam vitam: Optimè igitur ſibi conſulet, qui ita viuet, ita ſe diſponet, vt poſſit quotidiè cœleſtem manducare panem, quotidieque manducet, ſicque copioſius eius admirabiles fructus percipere, vt de virtute in virtutem procedendo, ſumma ſecuritate, ac facilitate, ex peregrinatione per deſertum mundi huius, aſcendere poſſit ad Montem Domini, & ad Domum Dei Iacob conſtructam in terra illa felici, & virtuoſis filijs, promiſſa.

Itaque ea quæ iam ſupra diximus, ſolum diximus ad oſtendendum, falſum eſſe, quod affirmant aduerſarij de neceſſitate Euchariſtici panis, qui vt fideles inducant ad illum quotidie manducandum, reuerentiam cœleſti, ac diuino pani debitam, &

ap-

aptam dispositionem tali,tantoque cibo necessariam quodammodo destruunt, & construunt iura, & præcepta diuina: vt quanto in præparatione laborem imminuunt, tanto augeant ex præceptis obligationem, & quanto fideles astringunt in obligatione sumendi Eucharistiam, tantò relaxent ab obligatione obediendi Prælatis, & animarum Rectoribus.

Et quia contra obedientiam istis debitam magis expressè loquntur prædicti authores iuribus, & præceptis nouo modo explicatis, quibus aliqua ex parte obedientiam destruunt; oportet vt nos eius destructionem iuribus etiam reædificemus, & eius deiectionem legibus pariter erigamus. Certum enim est apud omnes; vsum & consuetudinem populorum in re non mala transire in legem, & vt legem à populis regulariter acceptari, eo vel magis si viri prudentes, & docti verbo, & opere consuetudinem approbant, eandemque superiores confirmant, huiusmodi legem vsu firmatam non renuit acceptare Pintus, vt in discur. 1.cap. 12. sui Thesauri, & alibi sæpe; imo aliqoando hac lege ex vsu, & consuetudine vtitur ad aliquid pro sua sententia probandum. Sed ex antiquissimo vsu in Dei Ecclesia fideles, quo ad Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem sub obedientia, & directione Confessariorum, aliorumque Rectorum semper permanserunt, præsertim qui frequenter sacram Eucharistiam recipere

con-

consueuerunt: ergo huiusmodi vsus iam habet aliquam rationem legis, eo vel magis quia omnes fere Doctores, & Sancti Patres, vt sæpè iam significauimus, hoc affirmant, & commendant: hoc idem non solum commendare, sed etiam præcipere videtur ipsamet Ecclesia: Nam in iure communi. Omnis vtriusque sexus de pœnitentia, & remissione: Committit non pœnitenti, sed Confessario dilationem communionis, quæ fieri debet ex obligatione præcepti. Idem dicit S. Tho. 3. p. qu. 80. ar. 11. ad 3. Ex Innocentio. Nimirum non peccare, illum, qui tempore præcepti non communicat, si à communione abstinet secundum consilium Sacerdotis; nec addidit Docti, Pij, & Sancti, vt vult Pintus discur. 6. cap. 5. nu. 3. Quia subiectio, & obedientia non debet præstari creaturæ ob prudentiam, scientiam, & sanctitatem eius, sed Deo, cuius locum tenet, & cuius authoritate disponit, ac præcipit: & alioqui nullus vnquam teneretur obedire, quia semper posset dubitare de errore præcipientis etiam prudentis, docti, & pij; cum creatura quantum est ex se, & suis viribus relicta facilè erret; sed qui subiacet illi, quem vice Dei respicit, & vocem Dei in dirigente, ac præcipiente audit, à Deo regitur, ac dirigitur, nec vnquam formaliter errabit, sicut facile illi euenit, qui ab homine, vt tali dirigitur, vel ex propriõ iudicio regitur. *Lib. 5. c. 5.*

Hæc nostra doctrina ostendit; Non bene affirmasse

masse Pintum loco citato: In vsu scilicet quotidianæ communionis, & aliorum Sacramentorum, Christum non subiecisse fideles confessarijs, sed sibimet, itaut Christo immediatè, & non confessarijs, siue alijs quibuscumque, obtemperare debeant. Hoc autem, quod ipse dicit, vnde deducat non apparet; Imo ex vsu Ecclesiæ, Sanctorum Patrum authoritate, & omnium ferè authorum doctrina contrariũ deducitur, contrariumque habetur, vt patet ex dictis. Nam in Rubrica Missalis supra citata docetur contrarium, ibi enim præcipitur. Abstinendum à celebratione, siue communione quando contingit in somnis pollutio ex causa culpabili, sed additur, nisi aliter videatur confessario: & satis clarè contrarium habetur ex Epistola Eminentissimorum Patrum Concilij Tridentini interpretum, quæ supra cap. 4. videri potest, in ea enim Sapientissimi Patres expresè dicunt, Confessariorum discretioni, ac iudicio committendam esse determinationem maioris, aut minoris frequentiæ sacræ communionis, tum laicorum negotiatorum, tum coniugatorum, & continuo subdunt; Non esse pro omnibus determinatos dies, ad sacram communionem percipiendam, constituendos, sed magis quid singulis sit permittendum, per se (idest ipsemet Episcopus) aut per Parochos, siue Confessarios determinet. Et infra loquendo de subditis, regularium, affirmant, quod si aliqui ex

iſtis ſint adeo feruentes,& ſancti, vt digni videantur, poſſe quotidie ſacrã communionẽ percipere, concedi illis poſſit à ſuis ſuperioribus. Certè nunquam illi Patres dixerunt, poſſe ſiue ſæculares, ſiue regulares vti iure ſuo, obediendo immediatè Chriſto Domino, ſicque ſine vlla alicuius dependentia, ſiue frequenter ſiue quotidie communionem accipere; ſed huiuſmodi determinationem Epiſcopis, Curatis, Confeſſarijs, & Superioribus commiſerunt, quorum iudicio, directione, ac determinatione regulari ſacram communionem debere, triplici in eadem epiſtula repetitione affirmarunt.

Supra, huius rei ſignificauimus rationes. Quia ſcilicet nullus in cauſa propria bonus, & rectus iudex eſſe ſolet. Ac inſuper, quia ius, quod ſinguli habent ad ſacram Euchariſtiam, dependet in exercitio à determinatione Eccleſiæ, & Prælatorum, ſiue Miniſtrorum eius: hinc D. Tho. 3. p. q. 30. ar. 11. in corp. dixit, præceptum diuinum de ſacra communione determinari ab Eccleſia per ſuum prçceptum: Vnde ſicut diuerſo tempore diuerſimodè vniuersè determinauit in hac materia, ſecundum ſcilicet diuerſitatem rerum, & conditionem perſonarum: ita ſemper idem particulariter per ſe, & per ſuos miniſtros poteſt, & debet præſtare; ne tam ſanctum, & diuinum opus exerceatur aliquando irreuerenter, & cœleſtis panis vnquam ſine fructu à fidelibus recipiatur.

Verùm his Pater Pintus non assentitur, & has adducit pro sua contra nostram doctrinam rationes; Primam, quia D. Paulus dixit. Vnusquisque se ipsum probet. Non debet ergo à confessario, siue ab alio approbari, qui se ipsum debet probare. Secundam, quia si talis subiectio, & approbatio, vt nos dicimus, esset necessaria, eam Apostolus non tacuisset.

Sed incongruum certè videtur, his rationibus, quæ vim nullam continent, moueri virum doctum ad nouam sententiam, contra omnium Doctorum sensum, & totius communitatis vsum, proponendam, & docendam. Quis non intelligit, D. Paulum, in verbis illis. Probet se ipsum homo &c. loqui de probatione à culpis, quas nullus scire potest, nisi qui eas commisit. Secunda ratio; si vim haberet; multa, quæ de fide sunt, essent neganda: cum multa fide credamus, quæ scripta non sunt, sed ex sola traditione habemus, vt est certum ex Concilio Tridentino sess. 4. in decreto de Canonicis scripturis. Et in hoc ipso loco Apostoli à Pinto allegato: Si ex eo qued negatiue Apostolus se habet circa immediatam confessarijs subiectionem, siue prælatis, posset inferri, talem subiectionem non deberi sacerdotibus, sed Chrsto; Posset pariter inferri, non debere sua peccata sacerdotibus confiteri, qui se ipsos probando, reperiunt esse in graui culpa, quia si hoc esset necessarium Paulus non tacuisset, quæ doctrina

dat

dat anſam hæreticis, ad perſiſtendum in falſa ſua opinione, qua ſufficere affirmant internam pœnitentiam ad Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum contra Tridentini determinationem ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. vbi huiuſmodi hæreticos anathematicat. Non omnia igitur, quæ ſunt neceſſaria, in omni loco ſacræ Scripturæ dici debent, aut poſſunt, multo minus ea, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſaria: Nos enim non dicimus, ita eſſe neceſſarium dependere ſingulos ab obedientia miniſtri Eccleſiaſtici in receptione ſacræ Euchariſtiæ, vt, ſi ſecus faciunt, peccent; præſertim ſi detur caſus talis, vt vrgeat præceptum diuinum, quia tunc, ſi quis, ſe probando, reperit non eſſe in peccato, & putat, eſſe ſufficienter diſpoſitum, tenetur obedire præcepto, nec indiget tunc conſilio, aut directione Miniſtri, niſi ad fructum, & meritum augendum ex virtute humilitatis, & obedientiæ.

Per ea ergo, quæ de ſubiectione, & obedientia diximus, intendimus, contra aduerſarios, non eſſe vniuersè paruipendendam miniſtrorum, & prælatorum directionem & obedientiam, quamuis etiam ſit aliquando ita neceſſarium ab ea pendere, vt grauiſſime poſſet in communione peccare, qui obedientiam paruipenderet: vt ſi Religioſus contra præceptum ſui ſuperioris ſacram Euchariſtiam reciperet. Nam ſi quando adeſt præceptum Eccleſiæ de ſacra communione, quod vt ſupra diximus ex D. Tho-

ma est determinatiuum præcepti diuini, sicque tunc vtrumque vrget præceptum ; possunt superiores, & confessarij diferre, aut transferre ad aliud tempus communionem, & subditi, ac pœnitentes tenentur tunc obedire, vt patet ex dictis de Iure canonico, de Rubrica Missalis, & de doctrina D. Thomæ in locis citatis, in quibus dicitur, non dari tunc transgressionem præceptorum, nec vllum interuenire peccatum : ergo è contra aliquod tunc interueniret peccatum, siquis non obediret ; ergo multo magis quando nullum vrget præceptum ecclesiasticum, aut diuinum, & superior præcipit subdito, vt abstineat à communione, interueniret peccatum, si contrarium subditus faceret, vt iam notauimus de Saule contra præceptum Prophetæ, Deo Sacrificia offerente. Et hic aduerte, quod ad cultum diuinum non solùm habent ius omnes, sed expressum præceptum in illo decalogi mandato ; (Vnum cole Deum) nec Deo cultus maior dari potest, quam sacrificium ei offerre : at quia Deus vult potius, vt obediatur, sicut dixit Propheta, voci eius ; Ideo nec sacrificium, si contra obedientiam Deo offertur, gratum est, sed potius ingratum.

Verum aduersarij adhuc instant ex determinatione Concilij Niceni. Nam Patres huius Concilij excommunicant sacerdotes negantes fidelibus sacram communionem, nisi ob publica peccata : vnde Pintus disc. 4. cap. 12. num. 11. Dicit, & quidem bene,

bene, Sacerdotem non posse sine graui culpa publicè petenti Eucharistiæ Sacramentum denegare, etiam si non constet de sufficienti eius dispositione; dummodo per publica peccata non constet contrarium. Et hoc sanè est quod Patres Concilij præceperunt sub excommunicationis poena, quia nullus debet vti facultate à Christo recepta, nisi eo modo, quo ipse vsus est, nobisque exemplum dedit, vt sicut ipse fecit, ita & nos faciamus; vnde si ipse dedit hoc Sacramentum Iudæ, quem sciebat non esse bene dispositum, sed potius malè, itaut inter Apostolos non vnus ex ipsis, sed diabolus esset; debemus, & nos eius ministri idem præstare cum peccatore occulto publice petente, quia in tali casu ius habet, ad suam famam manutenendam, quam, quia nemo est dominus famæ alterius, nullo modo potest sua actione ab occulto peccatore auferre. Ioan.c.13.

Sed tandem quid facit huiusmodi prohibitio ad id, de quo hic est controuersia cum aduersarijs? Quę vt patet ex dictis, toto coelo distat à prohibitione, & pœna, quam ex Concilio ipsi adducunt contra nos, qui loquimur de ijs, qui sine graui culpa esse supponuntur, & dicimus, quod hi stare debent sub directione, & regimine Sacerdotum, & Prelatorum, maximè, qui quotidie, aut frequenter solent hoc diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum recipere, ne aliquo huiusmodi receptio fiat modo indebito

bito, sed potius cum debita illius, quod recipitur reuerentia, & eius qui recipit vtilitate.

Et quamuis sensus Concilij, ita, vt iam explicuimus, se habeat, neque possit talis Concilij intelligentia esse aduersarijs occulta; Ex dicta nihilominus Concilij prohibitione vniuersaliter, & sine vlla exceptione ipsi inferunt, vt expresse, inter alios, Pintus loco cit.nu.12. Non posse Prælatos, Parochos, siueConfessarios denegare alicui quotidianam communionem, nisi ob grauia, & publica peccata, & si ob alias causas denegarent, subditus, aut pœnitens non teneretur obedire; ad quam conclusionem firmandam, adducit Pintus Tamburinum, quem pro sua sententia dicit esse. Sed vt omnes manifestè cognoscant, quam malè congerant rationes, & authoritates Sanctij discipuli ad firmandum, quod ipsi nimia propensione circa hanc materiam sacræ communionis proponunt; adducam hic verba ipsius Tamburini, qui in opusculo de communione cap.1.§.11. inquirens, an liceat laico quotidiana communio; cum in principio §. dixisset, quod ad communionem adeo frequentem requiritur, vt est certum, magna spiritualis dispositio: subdit, ad quæsito respondendum. Iam licere communionem quotidianam laico, etiam vxorato, imò eam vetare illi nec Confessarium, nec Superiorem posse, docet cum paucis Ioannes Sanchez, seu Sancius in selectis disp.22. Negat cum alijs multis Ioannes de

Lugo

Lugo disp. 17. de Euchar. sect. 2. Solumque concedit maximo feruoris spiritu accensis, sanctæque Catharinæ similibus. Nos nagantem sententiam amplectimur, quia putamus, id cedere maiori reuerentiæ debitæ Christo Domino, ac Regi nostro: affirmans opinio illud à Cõfessarijs obtineat. Hæc Tamburinus, qui hortatur confessarios non esse nimis rigidos, & tenaces, sed potius faciles, & liberales in concedenda sacra communione, quando irreuerentiæ periculum non adest. Ecce quam clarè author iste sequitur sententiam, quæ contra Pintum est, imo addit, quod nec etiam in sentantia Sanctij, & sectatorum eius communio dari debeat, nisi ex concessione Confessariorum, & est de quo nunc maximè contendimus, & nos dicimus conueniens esse, & aliquando debitũ stare sub obedientia, & directione rectorum. Et contrarij hoc contemnunt, & pro sua sententia adducunt etiam illos, qui apertè contrarium affirmant; & vndequaque rationes congerunt & decreta Conciliorum coaceruant, quæ nullo modo ad rem faciunt, vt constat ex dictis.

Sicuti nec ad propositum nostræ præsentis controuersiæ facit, quod aduersarij contra nos adducebant in difficultate proposita à principio ex Can. 10. Apostolorum. Nos enim non negamus, imò supra cum D. Thoma vltrò concessimus, in principio Ecclesiæ, ob causas iam assignatas, fuisse impositum præceptum de quotidiana communione, &

tunc

tunc certè ; qui legitimè impediti non erant ob aliquam corporis impuritatem, & turpitudinem, vel nimiam animæ distractionem, debebant sine dependentia à Sacerdote adimplere præceptum, quamvis etiam tunc poterant, & conueniens erat, à consilio Sacerdotum pendere, vt isti determinarent, vtrum talis impedimentum esset conditionis, vt obstaret communioni, & à præcepto eximeret, quia sicut supra significauimus, illud præceptum non fuit latum eo cum rigore, vt volunt aduersarij. Et hæc veritas; præter ea, quæ adduximus supra, potest colligi ex ipsismet Canonis verbis, quæ sunt huiusmodi. Qui Ecclesiam ingrediuntur, & Sacræ Scripturæ lectioni assistunt, & non vacant orationi, neque communioni, vt homines quietis ecclesiasticæ turbatores excommunicandi.] Cum certum sit, orationis præceptum, etiam per aduersarios, impositum fidelibus non fuisse eo cum rigore, quo ipsi contendunt de communione; sequitur dicendum, neque præceptum communionis tanto cum rigore impositum fuisse; vtrumque enim simul, & ijsdem pariter verbis fuit impositum, vt patet.

Potest similiter hæc eadem veritas colligi ex fine, quem inter alios habere potuerunt Apostoli ad legem dicti Canonis constituendam. Ad discernendum scilicet inter bonos, & malos, siue inter Christi cultores, & pseudochristianos: sicut numquam defuerunt, ita neque tunc deerant, qui tam-

quam

quam Satan inter filios Dei, pſeudochriſtiani inter chriſtianos apparebant, & qui, vt inquit Apoſtolus, nominabantur fratres, ſed erant idolis ſeruientes, & Chriſto ſeruientibus immiſcebantur, non vt ea, quæ iſti exercebant, & ipſi exercerent, ſed vt, eos obſeruando, criminarentur, ſicque Chriſtianæ fidei hoſtibus traderentur. Vnde qui ſemel, aut iterum non impediti, neque ex conſilio ſacerdotis à ſacra communione abſtinuiſſent, inferri inde poſſe, exiſtimabant, de numero illos pſeudochriſtianorum eſſe, ſicque excommunicandos, & à cœtu verè Chriſtum colentium, eijciendos.

Iob.cap.1. & 2.

1.Corinth. c.5.

Ex hactenus latè iam dictis, ſatisfactum plenè manet omnibus difficultatibus aduerſariorum in principio poſitis. Sed conſiderandum adhuc ſupereſt, ſi veritatem continent, quæ dicit Pintus de communione puerorum, & eorum, qui, in peccato communicando, obtinent per accidens primam gratiam, vt in ſupra poſitis aduerſariorum difficultatibus notauimus. Et quidem in pueris ferè communiter requirunt authores perfectiorem rationis vſum ad communionem, quam ad confeſſionem; ideoque ad hanc ſentiunt teneri, ſtatimatq; ad debilē vſum rationis perueniunt, qui eſſe ſolet inter ſeptennium regulariter, & octauum annum, ad communionem vero nonniſi, quando perfectior eſt vſus rationis, qui talis eſſe ſolet inter decimum, & decimū quartum annum, iuxta maiorem, vel minorem

accelerationem perfectioris cognitionis, & discursus puerorum: existimant enim ad hoc sacramentum recipiendum, requiri cognitionem talem, qua valeat vnusquisque discernere inter cibum Eucharisticum, aliosque communes, & concipere quæ fides docet de hoc sacramento, ita vt excitare in se possit deuotionem, & reuerentiam erga illud, sine quibus ex D. Thoma hoc sacramentum recipi non debet; vnde cum hæc ita sint difficilia in puero septenni, vt pene appareant impossibilia; ideo dicunt non teneri pueros, nisi à decimo ad decimum quartum annum crebriùs, tardiusque, iuxta prudentis confessarij consilium, & parentum iudicium puerorum, hoc sacramentum recipere.

Neque contra hanc sententiam vim vllam habet, quod adducunt contrarij: Nimirum eundem rationis discursum, qui sufficere ad confessionem, sufficere pariter videtur ad communionem; maximè cum præceptum ab ecclesia æquè impositum sit pro vtraque. Hoc inquam vim non habet, quia minus, vt dictum est, requiritur ad confessionem, quam ad communionem: ratio est, quia statim ac homo peruenit ad aliquem vsum rationis, naturaliter pudet malefacti, naturaliter habet culpæ commissæ displicentiam; vnde facile potest instrui, malum illud esse contra Deum, ad hoc, vt displicentiam, quæ naturaliter in ipso de malo commisso insurgit, excitet in se, quia malum illud est contra Deum.

Deum: At vero cum Sacramentum Euchariſtiæ talis conditionis ſit, vt nulla ad illud detur naturæ inclinatio, (cum omnino, ac ſimpliciter ſupra naturam ſit) ita neque ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad ipſum dignè recipiendum. Hinc eſt, quod multo plus requiritur ad apprehendenda, & exercenda, quæ ſpectant ad conuenientem,& dignam huius Sacramenti receptionem, quam ad apprehendenda, & exercenda ſufficienter, quæ ſpectant ad recipiendum pœnitentiæ ſacramentum.

Et hac ratione, quamuis Eccleſia in capite; Omnis vtriuſque (vtrumque impoſuerit omnibus præceptum, tamen non æqualiter, vt dicunt aduerſarij: quia vt patet ex verbis dicti capitis, præceptum confeſſionis fertur abſolute, videlicet (ſemel in anno confiteantur) at præceptum communionis fertur cum particula reſtrictiua, reuerentiæ, videlicet(ſuſcipiens reuerenter Euchariſtiæ Sacramentum) & conformiter ad hoc D. Th.3.p.q.80.ar.9. ad tertium dixit, hoc Sacramentum tunc poſſe pueris conferri, quando incipiunt habere talem vſum rationis, vt poſſint deuotionem concipere huius Sacramenti;non ergo ſtatim ac vſum rationis habent, debet illis ex S. Doctore hoc Sacramentum dari, quia tunc neſciunt, vt dicebamus, deuotionem, & reuerentiam erga illud concipere, cum tale ſit, vt omnino captum humanum ſuperet, neque ad illud aliqua ex naturæ vi, ſiue directè ſiue indirectè, aut per acci-

dens inclinatio detur, sed potius ad contraria hæc aliquo modo inclinare videtur; qua ratione, per antonomasiam, appellatur Mysterium fidei. Videatur Suarez disp.70.sec. 1. Ægidius quæst. 80. ar. 12. num. 102.Bonacina disp.4 q.7.puncto 2.num.1.& 2. & alij, qui fere communiter eodem modo loquuntur, & ex istis authoribus nonnulli sunt; vt Vasquez de Eucharistia disp. 214. cap.4. num. 41. Hurtadus disp.10. diffic. 4. de Lugo, & alij, qui volunt, nec etiam in articulo mortis, hoc Sacramentum debere pueris dari, qui debitam eiusdem deuotionem, & reuerentiam concipere non valent, quamuis decimum, aut duodecimum excesserint ætatis annum. Et certè dici potest hoc tempore huiusmodi authorum opinionem non solum esse communem, sed veluti legem vniuersalem; cum ex vsu omnium fidelium nullibi, & nulli puerorum septenni concedatur, siue detur communio à parentibus, aut confessarijs; maximè extra periculum mortis; imo scrupulum faciunt, illam concedere, antequam talem rationis vsum in pueris agnoscant, qualis necessarius est, vt possint concipere, quæ spectant ad dignitatem, & cultum tanti Sacramenti. Hoc modo prædicti, & alij authores magis communitèr dicunt, debere intelligi præceptum Ecclesiæ de communione annuali, scilicet, quod obligat omnes, qui habent vsum rationis eo modo, quo iam explicuimus; & hoc nō obscurè indicat il-

la

la particula restrictiua ab Ecclesia præcepto apposita; nimirum; (Reuerenter) Et non statim atque ad quemcumque rationis vsum peruenerint; & quando nesciunt deuotionem, & reuerentiam debitam erga hoc Sacramentum concipere.

Et meo videri huius sententiæ, ac doctrinæ ratio est satis clara: quia præceptum siue lex superiorum non debet, nec potest intelligi, nisi eo modo, quo à principio fuit semper intellecta, & in exercitio posita à subditis, imo tale continuatum exercitium populorum firmat primam legem, alia veluti lege, multo magis tunc, qnando superiores non contradicunt, sed vel tacent, aut expresse consentiunt, vt in casu nostro; quia Rectores, & Prælati Sanctæ Ecclesiæ sunt, qui negant pueris, vel non concedunt sanctissimam communionem antequam vsum rationis eo modo, quo iam diximus, in eis agnoscant. Et certè si Pater Pintus ad hæc, quæ dicta sunt, mentem applicuisset, & meminisset eius, quod ipse sæpe in suo Thesauro repetit, nempe, Vsum Ecclesiæ esse legem infallibilem; erroris non arguisset eos, qui pueris statim post septennium communionem non concedunt, hac enim reprehensione omnes ipse comprehendit, etiam Dei Ecclesiam, quæ huiusmodi vsum permittit, imo facto ipso approbat, quem, si contra præceptum esset, permittere non deberet, multo minus approbare, & exercere.

Et

Et hæc quidem communis intelligentia circa præceptum Ecclesiæ de sacra communione est efficax probatio contra eos, qui sentiunt, sufficere solum statum gratiæ, ad sacram Eucharistiam digne, & cum fructu recipiendam; nam si res, vt ipsi dicunt, se haberet, nihil obstaret, quin dari posset pueris, imo eis deberet dari, dum sunt in gratia, etiam si nullam deuotionem, & reuerentiam erga hoc sacramentum concipere possent; quia si Eucharistia sine his præstaret suos effectus, eosdem sanè communicaret pueris, dum sunt in gratia, quamuis deuotionem, & reuerentiam non conciperent. Imo etiam ijs, qui nullum habent rationis vsum, deberet dari, quia certè post baptismum supponuntur in gratia, vnde adhibita diligentia, vt sacram Eucharistiam deglutirent, iam reciperent omnes fructus eius, nec apparet ratio, quare istis deberet Eucharistia denegari. Et tamen D. Th. loco citato absolutè negat debere pueris dari sacram Eucharistiam; & subdit, Græcos contrarium facere, quia male intelligunt, quod Diuus Dionysius capite 2. coelestis hierarchiæ dicit, nempe Baptizatis esse sacram communionem dandam; vbi non de pueris loquitur, inquit S. Doctor, sed de adultis, qui baptizantur (& incidenter aduerte, quod addit S. Doctor contra eos, qui ponunt quotidianam necessitatem sumendi realiter Eucharistiam, ne anima pereat, quia cibus est animæ, sine quo; vt cor-

pus.

pus ſine ſuo cibo ; perit) Nec tamen per hoc (proſequitur Sanctus) aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc, quod Dominus dicit Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia ſicut Auguſtinus ſcribit Bonifacio, tunc vnuſquiſque fidelium corporis, & ſanguinis Domini particeps fit, ſcilicet ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur.]

Sed veniamus tandem ad vnum ex effectibus Euchariſtiæ, quem aliquando in illo, qui ipſam recipit, producere ſolet ; quo Pater Pintus ſtudet, fideles excitare, eiſque perſuadere, vt quotidie communicent ; eſtque, vt ipſe ait, conferre non ſolum augmentum gratiæ, ſed multoties etiam primam gratiam. Hunc effectum aliquando habere ſacram Euchariſtiam, vltro concedimus ; Eſt enim cum D. Thoma communior inter authores ſententia. Sed ex iſto effectu deducere argumentum, ad quotidianam communionem ſuadendam, videtur ſanè incongruum, tum ex ipſa re, tum ex modo, quo dictus author explicat, Euchariſtiam producere primam gratiam : quæ enim congruitas apparere poteſt in hoc, quod eſt perſuadere aliquem, qui ſæpè grauiter peccat, vt quotidie Euchariſtiam ſumat ; nam hoc Sacramentum non cauſat primam gratiam, niſi in eo, qui ignorans eſt de ſua culpa, & recipit illud bona fide de ſtatu ſuæ gratiæ, eſt tamen

re

re vera in statu grauis culpæ ; sed qui sæpe, & quotidie communicat, non debet supponi tantæ malitiæ, vt sæpe grauiter peccet, nec tantæ negligentię, vt post peccata sufficientem pœnitentiam non faciat, vel quod ita crasso, & materiali modo procedat, vt peccata grauia non aduertat, aut de die in diem commissa obliuiscatur. Deinde falsum omninò est; Eucharistiam remittere per accidens peccata, & producere primam gratiam sine attritione, vt sentit Pintus loco citato, qui vt hanc suam sententiam roboret, adducit Vasquez: sed huius authoris doctrina potius deseruit ad demonstrandam contrarietatem, & falsitatem sententiæ Pinti, quam ad eam firmandam. Vasquez enim, vt videri potest To.3 in tertiam partem q.79.art.3. disp.105.c.5. nu.33. optime loquitur, & cohærenter ad suam sententiam: nam ipse sentit, nunquam hoc sacramentum efficere primam gratiam, atque ita attritionem, quam contrarij dicunt, esse necessariam, vt talis gratia producatur, ad nihil deseruire, quia cum hęc non sit de se, vt contritio, sufficiens ad delendam culpam lethalem; nec Eucharistia hanc ex se per primam gratiam valeat delere, quia non fuit à Christo Domino instituta, vt ipse inquit, nisi solum ad augendam gratiam, atque ita ex vi suæ institutionis supponere omnino debet primam gratiam, vt gratiam producat. Ex his infert Vasquez, frustra addi attritionem sumptioni Eucharistiæ, ad

pri-

primam gratiam producendam, quando neutra ex his causis sufficientem virtutem habet ad illam, ad quam vna ex natura sua nullo modo ordinatur, & altera non ordinatur immediate, sed altero, & non Eucharistiæ Sacramento, mediante.

At Pater Pintus, qui cum communiori sententia tenet, Eucharistiam habere ex sua institutione virtutem, conferendi in aliquibus casibus primam gratiam, non potest vti doctrina eorum, qui sunt in contraria sententia, nisi velit implicationem in sua sententia ponere. Et sanè non percipio, qua sufficienti ratione potuerit doctor iste à communi doctrina eorum, qui hanc sequuntur sententiam, discedere; ipse enim nullam adducit, sed solum dicit, esse sufficientem actum contrarium peccato; recipere Eucharistiam tamquam medicinam cum fide, quod suis infirmitatibus proderit; quia putandum est, ita Christum hoc remedium Eucharistiæ instituisse, vt tali cum fide receptum deleat peccata: nec etiam adducit authoritates pro hac sua sententia, nisi illam Vasquez, qui secundum suam sententiam bene dicit, frustra poni attritionem, quam contrarij communiter ponunt, vt necessariam, ad hoc vt Sacramentum per accidens conferat primam gratiam.

Multa contra hanc Pinti singularem sententiam, & doctrinam dici possent: sed quia ad nostrum intentum ex professo, eam reijcere, non spectat; ideo

ſolum dicamus, non aliam rationem animum huius authoris mouere potuiſſe, ad dictam ſententiam docendam, quam communem omnium Sanctij diſcipulorum; nempè tollere laborem omnem, & omnes difficultates, quæ poſſent retardare homines à quotidiana communione, quam ipſi perſuadere omnibus intendunt; & vtinam perſuadeant, ſed ſimul, vt eo modo exerceant omnes, quo & ipſis verè vtilitas ex ſacra communione proueniat, & Deo, diuinoque Euchariſtiæ Sacramento debitus honor.

Quod autem Euchariſtia nullo modo poſſit primam gratiam per accidens conferre ſine attritione; facilè probari poteſt. Tum authoritate omnium Doctorum, qui hac ſunt in opinione, Euchariſtiam ſcilicet, conferre per accidens primam gratiam: omnes enim, nullo excepto, requirunt ad hunc effectum attritionem, & à communi authorum ſententia in hac morali materia recedere, non poteſt eſſe ſine graui nota, vt inquit de Lugo, temeritatis. Tum ratione, quia ſi Sacramentis, quæ dicuntur mortuorum, vt Baptiſmus, & Pœnitentia, quæ à Chriſto Domino ſunt inſtituta ad delenda per ſe peccata; & conferendam primam gratiam, ad huiuſmodi effectum vim non tribuit ſine conditione pœnitentiæ, ſicque in adultis de lege ordinaria hæc ſacramenta non delent peccata, non conferunt gratiam ſine aliqua pœnitentia ad minus imperfecta

vt

vt est attritio: qua vnquam ratione affirmari poterit talem virtutem dedisse, ad delenda nempe peccata, & primam gratiam conferendam sacramentis, quæ ex natura sua non sunt instituta, nec primo saltem & per se ordinata ad talem effectum præstandum, sine conditione ad minus, quæ est necessaria in sacramentis, quæ sunt ordinata ex natura sua ad illum? Et quonam pacto credi potest, dedisse Deum virtutem causis ad effectum, quem conferre possunt per accidens, quam illis non tribuit, quæ eundem possunt per se producere?

Et ratio, quare saltem attritio requiritur ad hoc vt quæcumque sacramenta conferant primam gratiam, & deleant peccata, est communis pro omni causa deletiua peccati, & desumitur præcipuè ex sacris litteris, quia scilicet Deus non conuertitur ad homines per gratiam sanctificantem, nisi homines aliquo modo conuertantur ad Deum per poenitentiam, & displicentiam offensæ in Deum commissæ. Sic etiam natura dictat, sic ordo iustitiæ exposcit; vt qui auersus est per culpam conuertatur per poenitentiam, & qui iniuriam intulit, poeniteat intulisse, & veniam petat. Estque ita necessaria poenitentia, inquit Auersa, in tractatu de Baptismo q.69. sect..2. vt sacramenta conferant gratiam, vt nunquam & in nullo casu possint eam sine poenitentia conferre, quia hęc non solum est necessaria ad talem effectum necessitate præcepti, sed etiam medij: ita vt sicut in

nullo casu, & per nullum remedium potest homo sine fide, quæ vt medium necessaria est, iustificari: ita neque sine poenitentia potest gratiam iustificantem per quamcumque causam recipere. Et sane maxima est Dei misericordia erga homines, dum non perfectam exigat, sed imperfectam etiam poenitentiam acceptet, sicut est attritio, vt hac posita, suam gratiam, & pristinam amicitiam mediantibus Sacramentis hominibus restituat; plus autem velle, est nimis, & contra rationem velle, & nihil obtinere, vt infra manifeste patebit.

Sumere quotidie sacram Eucharistiam ad admirabiles eius effectus percipiendos, quos aduersarij in obiectione enumerabant, optimum est, vt iam diximus, si tamen homo ita sumit, vt fructus siue effectus Eucharistiæ percipere possit; & tunc huius Sacramenti perceptio esset in Dei honorem, & cultum, eique grata, tunc in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis: alioqui non desunt modi ad gratias Deo agendas; tum pro eximio redemptionis beneficio, tum pro alijs acceptis, & quæ quotidie à Deo homo recipere solet.

CAPVT VIII.

Inconuenientia, & mala, quæ in praxi ſolent oriri ex doctrina Sanctij, & ſequacium de quotidiana Communione.

NON leue eſt illud quod ſæpè ſignificauimus. Et cap. 6. & 7. pleniùs explicuimus de obedientiæ negatione Prælatis, & Rectoribus, vel potius ipſi Deo, qui Lucæ 10. dixit. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit] Imò hoc malum veluti fundamentum eſt, & origo aliorum malorum. Vbi caput, & hyerarchica Miniſtrorum ſubordinatio non eſt, quibus cæteri ſubiaceant, & obtemperent; non Regnum, non Reſpublica, non Exercitus, non Congregatio, ſed confuſio vocari debet, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Hinc hæretici illi, qui caput Eccleſiæ, & regulam viſibilem fidei reiecerunt, reiecti pariter, & ipſi à fide ſunt, totque abierunt in falſa dogmata, quot ſingulis arriſerunt. Sicque non ſolum in Regno, aut Prouincia, ſiue Ciuitate, ſed in domo vna diſſenſio; contentio, confuſio, & nullus ordo, ſed horror religionis inhabitat. Verum in re iſta ſatis ſupra probata, & omnibus ſufficienter nota amplius non immoremur, ad alia tranſeamus.

Cum

Cum tam magnifica huiusmodi authores affirment esse dona Eucharistici Sacramenti, eisdemq; animam supra modum in huius Sacramenti receptione nobilitari, & exaltari; simulque doceant, maxima hoc facilitate omnes recipere, & dona consequi posse, dum ad hoc Sacramentum recipiendum, eiusque dona percipienda, aliud asserant non requiri, quam poenitentiæ Sacramento conscientiam à grauibus culpis emundare, nec debere quemcumque hac in re ab alijs vllo modo dependere, neque à prælatis etiam regularibus posse impediri. Existimatio hinc oritur, quod qui quotidie ad sacram communionem non accedit, vel inimicus sit animæ suæ, dum tanta dona negligit, quæ facilitate nimia Regni Coelestis maximo cum merito possessionem tribuunt; vel vitam in grauium culparum statu perducat. Vnde fit, vt vbi hæc doctrina inualuit, velint omnes quotidie communionem accipere. Et vtinam omnes vbique ita semper viuerent, ita quotidie disponerentur, vt quotidie ea, qua par est, dignitate aptæ dispositionis mererentur accipere: sed quia regulariter, Omnes quærunt, quæ sua sunt, vt inquit Apostolus, non quæ Iesu Christi; omnes se ipsos magis, quam Deum amant; omnes commoda corporis inquirunt potius, quam animæ virtutes acquirunt; ideo permulti ad sacram communionem ineptè, aut minus aptè, ne dicam impiè, accedunt. Nam aliqui ne tantum animæ

Ad Phil. c.2.

fru-

fructum, qui ipsis ex communione promittitur, amittant, ex quadam consuetudine, & vsu potius ad sacram mensam accedunt, quam ex deuotionis affectu, & regulariter mente distracti, charitate frigidi, solis passionibus feruidi, multoties corpore immundi, imaginatione turpes, & mille imperfectionibus onerati: &; si velimus cùm Diuo Bernardo loqui; Corde penitus arido, ducti consuetudine, plane quasi vitula Effraim docta diligere trituram, exteriorum, quæ ad modicum valent, ne iota vnum prætereuntes, in corde serui sunt propriæ voluntatis, cultores auaritiæ, gloriæ cupidi, ambitionis amatores.] Et tales, qui semel si in anno ad sacram mensam accederent, nimis videri posset, quotidie accedunt, quotidie diuinissimum Christi corpus recipiunt, quæ receptio, an grata sit Deo, vel potius ingrata Sanctorum Patrum doctrina iam supra allegata manifestat; an fructum pariat, & vtilitatis effectum in animas istorum, vel potius sit quædam veluti dispositio ad damnum, & animæ ruinam, ex dictis colligitur, & ex dicendis magis intelligetur.

Serm. 2. de Assumpt. B. Mariæ.

Hoc malum in communitatibus præsertim mulierum maius depræhenditur: cum enim mulieres vehementis sint imaginationis, si semel eam in capite sibi figant, quod si vt aliæ communionem quotidie non accipiant, in malo ab eisdem putentur esse conscientiæ statu, vel propriæ salutis immemores

mores viuere; non solum permultæ minus dispositæ, sed aliquæ etiam nullo modo dispositæ, & sæpe male dispositæ, & cum damno animæ scienter ad sacram communionem, ne existimationem in sua communitate amittant, accedunt; sicque non in salutem, & vitam, sed in iudicium, & condemnationem accipiunt. Ac insuper ipsamet communitas, seu congregatio aliud non leue detrimentum à suis patitur ex incongruo, & minus considerato, seu non bene regulato vsu dictæ communionis, quia cum ad talem frequentiam, vt sæpe dictum est, non requirant authores quotidianæ communionis, nisi sacramentalem solummodo confessionem; hinc fit vt omnes ad confessarium confluant, & tunc maximè, cum exercitia sunt communitatis implenda; sicque ex defectu multarum hæc non bene adimpleri possunt; &, laudes diuinæ, vix à paucissimis in choro canentibus, persoluuntur, nec superiores valent huiusmodi obstare inconuenientibus, quia (vt aiunt) subditæ non tenentur obedire.

Sequitur etiam ex hac irregulata frequentia communionis, confessarios locorum piorum nimiam pati molestiam, & cum non possint quotidie omnium confessiones audire, fit inde, vt multæ alios aduocent confessarios, vel extortis concessionibus nimia à superioribus importunitate petentium per interpositas magnatum personas; vel aliquibus non tutis conscientiæ accommodationibus

ex

ex quibusdam opinionibus circa hanc materiam peregrinis, & facilitate, seu potius relaxatione quorumdam, qui tollere gestiunt peccata mundi, adinuentis, & quod insuper videtur in admirationem, aut risum incitare, est, quod multæ, quæ ante communionem confessionem præmittere non potuerunt, post communionem confessionem emittunt; vt hinc ansam aliquibus præbeant, existimandi, tunc peccata confiteri; quæ ante, & in ipsamet communionē commiserunt.

Sed malum hoc indebitæ, seu impiæ communionis frequentius esse potest in domibus quorumdam magnatum, vbi multitudo puellarum, aliarumque mulierum Dominæ, ac domus seruitio adest: si Domina quotidie sacram communionem recipit (& hanc regulariter in Sacello Palatij) & alię omnes id ipsum in eodem loco exercere debent præmissa confessione, vel cum eiusdem Dominæ confessario, vel (quod peius est) cum aliquo ex familiaribus, qui & cappellani, & confessarij munus exercet, quod quam periculosum sit, tum inualidæ confessionis; tum sacrilegæ communionis in sexu fragili, & iuuenili, in mulieribus degentibus inter virorum turbam omnis ætatis, & conditionis, facile consideranti innotescere potest.

Sed hic inconuenientia huius doctrinæ non sistunt, sed vltra ea, quæ modo diximus, & supra cap. 1. & 2. significauimus, aliud omnibus manife-

ſtare, neceſſarium puto, vt omnes abhorreant à doctrina, à qua tamquam ex antecedenti, ſiue cauſa perniciosæ conſequentiæ, & praui effectus ſequuntur. In Regnis Hiſpaniarum; vbi pietas, & vitæ ſanctitas ſemper floruit, vbi fere omnes ſunt ad deuotionem, & pietatem propenſi; hæc Sanctij, & ſequacium doctrina, quæ perſonata apparet pietate, per multum inualuit; eò namque facilius quiſque ad quod inclinat, ſe mouet, quo illud difficultatibus, quæ appetitum retrahere ſolent, magis denudatum oſtenditur; atque ita, vt omnes ſine incommodo, moleſtia, aut impedimento aliquo poſſent quotidie omni tempore panem cœleſtem ſumere: animaduertite, quæſo, quid adinuenerint, qui inordinatis, indigniſque inuentionibus lucrari intendunt abunde (inquit de Aponte) panem terrenum ex frequentia, & abundantia panis cœleſtis. Exerceri indifferenter poſſe docuerunt, ac indifferenter erga omnes exercent, quod ex maxima neceſſitate, ad ſubueniendum moribundis tempore epydemiæ, quando præceptum inſtat ex neceſſitate ſalutis æternæ panem manducare cœleſtem, Eccleſia Dei permiſit, ita ab ipſo met Deo per ſuum lumen edocta, vt tunc ſcilicet ad multorum mortis vitandum periculum, non ea ſolemnitate, & magnificentia, qua deferri ſolet, geſtetur Euchariſtiæ Sacramentum ad domos infirmorum, ſed priuato modo, vt ita, & neceſſitati morientium ſubueniretur,

tur, & periculum mortis in viuentibus euitaretur. Sed hodie, quod olim ob neceſſitatem omnium maximam permiſit Eccleſia, ob ſocordiam, & commoditatem nimiam exercent aſſertores quotidianæ communionis; & quod deterius eſt, tantam inordinationem, & irreuerentiam pietatis, & religionis veſtiunt indumento.

Deferunt itaque in crumenis, aut in pectore, argenteas capſellas in quibus diuiniſſimum includitur Euchariſtiæ ſacramentum, vt valde mane, poſſint illud miniſtrare ſæcularibus valetudine, & viribus integris, in eorum domibus, in cubilibus, in ſtratis, eburneiſque lectis, vix à ſomno expergefactis, vt ſtatim tanquam ad vilem, & terrenum panem cocolatis potio conſequatur. Quis audiuit vnquam talia indigna, talia horribilia, quæ facit populus meus; Dicit Deus; & certè tanto magis horribilia, quanto à populo Dei talia fiunt, à Sacerdotibus inquam, ab ijs, qui Dei honorem, & reuerentiam in omnium mentibus, & cordibus inſculpere deberent; ab ijs, qui ad veram pietatem, congruumque cultum Deo in domo ſua, in Eccleſia ſcilicet, præſtandum, Doctores, & Ductores eſſe deberent. Ier.c.18.

Tantam erga Euchariſtiæ ſacramentum requirunt cordati authores reuerentiam, vt ne in aliquo hæc minuatur, non concedunt, poſſe Parochum illud deferre infirmo ſine ſtola, ſuperpelliceo, &

præcedente lumine; nec licere, dicunt, festinato currere, etiamsi præproperam timeat infirmi mortem: præferunt ergo isti authores reuerentiam tanto Sacramento debitam omni vtilitati creaturæ, etiam permaximæ, omni necessitati, etiam extremæ, eo, inquam, in casu, quo instat Dei præceptum, sumendi sacrum viaticum, & indigentia animæ, vt sacris charismatibus foecundetur, quæ ex hoc Sacramento illi proueniunt, & fortitudinem contra iram draconis magnam communicant, pulchritudinemque addunt, vt gratiosior appareat in conspectu Dei sui. Videantur Bonac. de hoc Sacramento disp.4.q.5.punct.2. Tamburin.opusc.de commun. cap. 5. §. 1. videantur alij authores, qui eodem ferè modo loquuntur. Et nostris temporibus non desunt, qui paruipendant ea, quæ docent ore vno cordatissimi authores, & deferunt quotidie beneualentibus in domos suas, & nullam indigentiam habentibus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, sine stola, sine superpelliceo, sine lumine, equidem sine lumine, quia, qui hoc modo operantur, cæci appellari debent, & duces cæcorum.

Horum, ac similium Sacerdotum indignitatem, & abiecti animi leuitatem, seu vilitatem horrens, ac deflens Concilium Coloniense, sic habet par.2.cap.27. Magna eorum leuitas est, & in magnam Cleri ignominiam redundans, qui se laicis, atque adeo delicatis fœminis ventris causa in

Cap-

cappellanos, atque antedeambulones venditant: qui enim debebant esse gregis Duces, rediguntur in caudam.] & in cap. 9. idem Concilium appellat huiusmodi Sacerdotes conductitios, & tantorum Mysteriorum sanctissimae Eucharistiae ministerio indignos, quibus instare, significat, interitum, & perditionem. Fructus equidem quotidianae communionis in isto irreuerenti vsu, & indigno ministerio, alius esse non potest (vt verbis vtar de Aponte) quam ex parte ministrantium, mercimonium Sacerdotum, quibus Christi honor, vt it adiçam, & reuerentia viluit, & inualuit procerum adulatio, & proprij mercimonij ansiosa cupido: & ex parte recipientium, dispositio ad animae ruinam, ad quam omnis irreuerentia erga res sacras, & maximè erga hoc sacramentum, exponit.

Vbi nam in tali Sacramenti receptione magna reuerentia? vbi magna deuotio? quas requirit Doctor Angelicus, quas requirit Ecclesia; quas omnes Sancti Doctores, & authores requirunt. Sed non verentur Sanctij sequaces cum suo Duce affirmare, maximam reuerentiam, & deuotionem in eo consistere, quod quis sine graui culpa sacram recipiat Eucharistiam, vt supra cap. 3. significauimus. Quis autem dicat, exclamat Eminentissimus de Lugo, Nomine magnae reuerentiae, & deuotionis intelligi solam carentiam culpae mortalis, admixtam etiam cum distractione, (est enim doctrina huiusmodi

au-

authorum)& tepiditate maxima, & cum propoſito actuali committendi innumera venialia ex aduertentia? ſane ego iſtam magis dicerem indeuotionem, & irreuerentiam, quam magnam deuotionem, & reuerentiam. Ita de Lugo. Quid enim doctiſſimus hic, & pijſſimus author diceret de ijs, qui recipiunt ſacram communionem, vt iam diximus, in lectis, vix à ſomno expergefacti? equidem affirmaret, hos, qui ita reciptunt diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam ſi ſine culpa mortali ſint, ſumma cum indeuotione, & quodam veluti contemptu, recipere, ac valde ſe diſponere non ad vitam perennem, ſed ad mortem æternam; merentur enim ob turpem hanc irreuerentiam, vt eos permittat Deus in turpia, & grauia ruere delicta, vt inde mors, & animæ interitus ſequatur, & fiat eis menſa Euchariſtica, in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. Pſal.68.

Sententia omnium authorum eſt, peccata venialia ad mortalia diſponere; quia cum per illa charitatis feruor tepeſcat, ad frigiditatem anima paulatim diſponitur, ſicque ad amittendam ipſam charitatem, quæ animæ noſtræ anima ſupernaturalis eſt, & conſequenter ad peccatum graue, per quod charitatis formam anima amittit, vitamque ſpiritualem: & ſi ex omnibus veuialibus ita euenire ſolet, multo magis ex illis, quæ committuntur contra reuerentiam tanto Sacramento debitam, & per-

multa

multa quidem necesse est committi in tam irreuerenti, incomposita, & inordinata receptione, de qua modo diximus, atque ita bene diximus, istos mereri, vt Deus permittat in grauia ruere delicta, sicque per frequentem Sactamenti receptionem, qua se in Regni possessione firmare intendunt, tendant per contrarias dispositiones ad amissionem eiusdem & ad reprobationem æternam.

Hanc doctrinam, existimo, insinuare voluisse Chrysostomum, cum dixit; Ad diuina mysteria negligenter accedens, supplicium intolerabile meretur, & si semel in anno hoc quis audeat; ignis spiritualis plena est ipsa mensa; & quemadmodum fontes naturaliter scaturiunt aquam, sic hæc mensa flammam quamdam ineffabilem fouet; caue igitur accedens cum stipula, lignis, & fœno, ne maius efficias incedium, & animum, qui sit eius particeps, exuras.] Non itaque, ideo meretur supplicium intollerabile, quia cum culpis grauibus accedit, sed quia ex incuria negligens leuia, ad grauia se disponit: atque inde non prœmium sequitur, sed supplicium, quod eo magis erit intolerabile, quo magis quis animo vanitatis, irreuerentiæ, & sensualitatis passionibus contaminato, tamquam stipulæ, ligni, & fœni ad diuinissimum Sacramentum accedit: nam ex eo flamma, sicut ex fonte aqua, procedit, & sicut hæc in vas purum recepta pulchrius, & in immundum turpius reddit: ita Eu-

homil. 27. in 1. ad Corint.

chari-

charistia delectabile charitatis lumen in corde puro auget; eademque superbiæ fumosa flamma augetur in corde impuro: & sicut aqua ex fonte profluens diffluere facit paleas, & festucas, si quæ in vas, à leuitatis vento debilis naturæ submotæ, intrauerint, non ita eas, aliasque impuritates eidem diuturnitate temporis tenaciter adhærentes, sed potius ita has commouere solet, vt vasis turpitudo euidentius appareat. Similiter hoc Eucharistiæ Sacramentum charitatis flãma semper corda pura magis purificat, deletq; si quas in eis leuitatis culpas ex debilitate reperiat; non ita quæ passionum praui habitus, & venialium tenax, & perseuerans peccatorum affectus reddunt immunda, & licet vasa sint quoad materiam pretiosa, quia sine graui culpa, attamen quoad diuersas accidentales formas, ob multa scilicet venialia prauo ex affectu sunt immunda, & stomachum prouocant: ad hæc non flamma charitatis purificans ab Eucharistia emanat, sed diuinæ iustitiæ flamma iræ, qua tandem ob humani cordis malitiam stipulæ, lignis, & fœno adhærentis, animus maiori incendio grauium peccatorum exuratur. Et si ex sententia Chrysostomi, licet quis semel in anno, cum dicta iam dispositione non apta, audeat ad sacram Eucharistiam accedere, ad intolerabile supplicium vstionis animam suam disponit, quid de eo, qui quotidie ita accedit? quid de eo, qui non accedit, qui dedi-

dedignatur, ad Regis conuiuium omnibus in domo Regia præparatum, , accedere ; sed cogit potius Regem in domum ſuam venire, ad eamque trahi curat, aut permittit, vt in proprio cubiculo, in deaurato, ac delicioſo lecto eius animam ſanctiſſimis ſuis carnibus Rex Chriſtus reficiat, dum homuncio viliſſimus reficit corpus, ſuamque carnem delicate nutrit, & ad impuras cogitationes diſponit? Matt.c.22.

Et adhuc audebunt aliqui affirmare, magna cum deuotione, & reuerentia, qui ita accipit, ſanctiſſimam recipere Euchariſtiam, quænam erit irreuerens, & indeuota receptio (recipere cum lethali culpa eſt indigna receptio, ergo recipere cum venialibus, & modo iam explicato, erit minus digna, erit non digna receptio, erit ad minus irreuerens, & indeuota receptio. Et immerito ſane Sanctius, & ſequaces D. Thomam citant; vt ſupra cap. 3. diximus; dum probare iutendunt, receptionem Sacramenti cum ſolo ſtatu gratiæ eſſe reuerentem, & deuotam receptionem, ſicque deuotionem, & reuerentiam in ſolo ſtatu gratiæ conſiſtere per S. Doctorem: quia vt citato capite, oſtendimus; ſenſus D. Thomæ nimis diſtat à ſententia, & ab inaudita huiuſmodi authorum expoſitione de reuerentia, & deuotione. Qui item contrarius adhuc oſtenditur ipſorum explicationi 3. parte q. 80. ar. 7. & 9. in his enim locis affirmat, quod etiamſi

per pœnitentiam reponatur homo in gratia (loquitur de pollutione) tamen per mentis distractionem, quam relinquit, quæ deuotionem tollit, & ob corporis impuritatem, abstinere debet à communione. Idem significat in ar. 8. ad 5. & 6. vbi aperte loquitur de ijs, qui sunt in statu gratiæ, & dicit, quando isti debent abstinere à communione ob defectum deuotionis ex indigestione, vel alia simili causa. Et clarissime hæc veritas contra dictos authores deducitur ex ijs, quæ de pueris cap. præcedenti diximus ex eodem S. Doctore, qui ar. 9. ad 3. asserit Græcos errare, male intelligendo quod Dionysius affirmat de adultis, qui baptizantur, dum ex Dionysij authoritate pueris post baptismum sacram Eucharistiam tribuunt; & deinde Angelicus Præceptor deducit; Nec post baptismum statim, nec statim atque ad quemcumque rationis vsum peruenerint, dari sacram debere Eucharistiam pueris, sed solum quando talem habent rationis vsum, vt concipere possint deuotionem erga tantum Sacramentum. Ex quibus patet non stare per Sanctum Doctorem in solo statu gratiæ deuotionem, quia certe pueri post Baptismum moraliter supponuntur esse in statu gratiæ, & consequenter haberent sufficientem deuotionem ad Eucharistiam, si hæc in solo statu gratiæ consisteret: si ergo Angelicus Præceptor vult non debere pueris dari, nisi quando concipere possunt deuotionem; deuotio de qua

S.Do-

S. Doctor loquitur, & quam requirit ad hoc Sacramentum recipiendum, non consistit in statu gratiæ, vt somniant aduersarij, sed in alio, quod gratiæ superadditur. Hoc idem voluit alijs in locis iam modo citatis, vt patet, & supra cap. 3. Hoc idem volunt omnes Sancti Patres ibidem, & in toto hoc opusculo adducti, vt apertè demonstrant eorum dicta; nam omnes Patres requirunt deuotionem, & reuerentiam ad hoc Sacramentum recipiendum in ijs, quos iam supponunt in statu gratiæ; esset namque inutilis, & vana repetitio, tanto studio commendare, tanta diligentia requirere, vt ad hoc accedant Sacramentũ magna cum deuotione, & reuerentia, quando de ijs loquuntur, qui sunt in statu gratiæ, & consequenter secundum aduersariorum sententiam, cum magna deuotione, & reuerentia. Aliud ergo est vltra statum gratiæ, quod in istis requirunt, aliud ad quod hortantur, aliud ad sacram Eucharistiam dignè recipiendam desiderant.

Hæc eadem veritas patet ex rubrica Missalis nu. 2. vbi loquendo de ijs, qui sunt in gratia affirmat, quod possunt sacram Eucharistiam recipere, qui ante mediam noctem cibum, aut potum sumpserint, etiam si postmodum non dormierint, quamuis (vt ibidem additur) ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.] Quis non intelligit, hic deuo-

tionem non sumi pro statu gratiæ; per illam enim mentis perturbationem non tollitur status gratiæ; & alioqui dicendum ibi fuisset; omninò à communione esse abstinendum. Idem etiam patet ex Epistola Eminentissimorum ad Episcopum Brixiensem, vt supra cap. 4. Nam expresse Patres præcipiunt, instrui omnes à Concionatoribus; præsertim eos, qui ex deuotione excitantur ad quotidie, aut sæpè sacram Eucharistiam recipiendam; de magna præparatione necessaria: vbi certè non loquuntur de gratia, sed de præparatione illa, quam D. Thomas, Sancti Patres, & Ecclesia in rubrica Missalis appellant deuotionem, & reuerentiam, vt manifestat, quod subdunt in epistola, nimirum; Quod si aliquando se minus paratos aliqui senserint, abstineant à communione, seque ad maiorem præparationem accingant; hoc certè non debet, nec potest intelligi, quod ad maiorem gratiam se accingant, idest maiorem acquirant: quia, quicumque etiam minimus gratiæ gradus est per aduersarios sufficientissima dispositio, sicque in eorum sententia sufficientissima, idest magna deuotio: & reuera quicumque gratiæ gradus simul cum deuotione, & reuerentia, in omnium sententia, sufficit ad hoc, vt sacra Eucharistia cum fructu recipiatur.

Sed quid multa? Cum D. Thomas dixit requiri ad sacram communionem deuotionem, & reuerentiam, non potuit de illa loqui, quam exponunt

con-

contrarij, quia nunquam in ſuis operibus de deuotione ſumpta pro gratia loquutus eſt. Sed potius de deuotione, præciſa gratia, aliquando loquutus eſt, vt q.79.ar.3. in fine corporis, vbi agendo de eo, qui eſt in peccato mortali, huius tamen conſcientiam, & affectum non habet, ſi hac bona fide iſte talis, inquit Sanctus, reuerenter, & deuotè accedit ad Euchariſtiæ ſacramentum, recipit eius gratiam; vt nos magis cap. 10. explicabimus. Ecce quomodo per S.Doctorem adeſt reuerentia, adeſt deuotio in ſubiecto, vbi gratia non adeſt: non ergo de deuotione pro gratia, ſed de illa D.Thomas loquutus eſt, de qua ipſe ſæpiſſimè in ſuis operibus, & præſertim ſecunda ſecundæ loquitur, eſtque illa, quæ oritur in homine ex cognitione ſui, Chriſti, & Dei, ex qua plures actus diuerſarum virtutum ſolent emanare, tum contra ipſummet hominem, ideſt carnem, & ipſius paſſiones, tum erga ipſum Deum, ideſt ad reuerentiam Chriſti, & ad cultum Dei. Hinc communiter dici ſolet; deuotionem eſſe promptitudinem quandam animi ad ea omnia adimplenda, quæ ſpectant ad ſeruiendum Deo, eumque colendum, quæque ad animæ propriæ ſalutem ſpectare videntur. Ideo D.Bernardus affirmauit, *Deuotionem eſſe linguam animæ, quam qui habet ſcit bene, & expeditè loqui cum Verbo æterno.*] Quia ſcit expedite ipſum laudare, ſibique præcipere, vt promptè, & integrè ea adim- Serm. 45. in Cant.

pleat;

pleat, quæ ad Dei venerationem, honorem, & cultum, & animæ suæ salutem spectare videntur: de hac igitur deuotione omnes cum D. Thoma loquũtur, qui dicunt requiri, ad dignè sacram Eucharistiam recipiendam, maximam deuotionem; hæc non est illa vestis, quam (vt inquit Tridentinum) induta anima ad diuinam Mensam accedit, sed illam supponens (quæ in gratia habituali consistit) per exercitium actuum virtutum, & sordes detegit imperfectionum, quibus aliquando huiusmodi vestem maculari contingit, & gemmas superinducit meritorum virtutis, vt ita anima non inepta, sed omninò apta, omninò dignè ornata Eucharistico tanti Regis conuiuio interesse possit.

Sess. 13. c. 8.

Ex his igitur clarè infertur, non stare per Sanctum Doctorem, nec per alios authores deuotionem in solo statu gratiæ, sed necessario aliud ad illam, & ad reuerentiam diuinissimo Eucharistiæ sacramento debitam, requiri. Vnde merito contra hanc Sanctij, & sociorum expositionem acriter inuehitur de Aponte, quam appellat, nouam, & putidam intelligentiam, eamque dicit, aliasque similes, quosdam nouatores audere inferre in Ecclesiam Dei, quos nullus Sanctorum, siue aliorum authorum vnquam excogitauit, nec vnquam somniauit, vt videre est supra cap. 3. vbi formalia verba huius pijssimi authores attulimus, qui loco alibi citato in Sapientiam Salomonis, probat Sanctij sententiam,

& di-

& discipulorum eius; quam nos supra sæpe significauimus; esse temerariam, scandalosam, & piarum aurium offensiuam, imò dicit non esse sententiam, sed puram temeritatem. Et Lugus de Eucharistia disput. 17. sect. 2. non multum distat à sensu de Aponte.

Et meritò quidem, nam quomodo non temeraria sententia illa, quæ opponitur authoritati omnium fere Sanctorum Patrum, doctissimorumque virorum, & ipsiusmet vniuersalis Ecclesiæ intelligentiæ, atque consuetudini. Ego adderem esse frontosam, & impudentem, dum pro se adducit, qui contra eam loqu untur, vt ex dictis iam constat.

Quomodo non scandalosa, ex qua tot scatent inconuenientia, quorum aliqua enumerauimus in hoc capite, & multo plura enumerari possent, sed à singulorum expositione supersedeo, ne nimia prolixitate benignos lectores offendam, quando prudentes ex vngue addiscunt leonem. Et quodnam scandalum maius sumi potest, quam videre ad altare sacra, & immaculata mysteria offerentem, vel ad mensam diuinum, ac purum Christi corpus sumentem, quem paulò ante fornicantem, adulterantem, & sacrilegia committentem quis viderat? quod nam scandalum maius, quam videre aliquos furantes, blasphemantes, mala fere omnia proximis inferentes, & vitam gentium potius, quam Christianorum viuentes; atque accedere deinde frequenter

quenter, aut quotidie ad sacram Synaxim, & veluti ex vsu diuinissimum panem ingurgitare, & rem hanc, existimare, omnia tegere, & tergere mala, hanc totam esse sanctitatem. Hic illud Bernardi ex Beato Isidoro desumptum extra rem certè non erit, inquit enim; Qui in Ecclesia sceleratè viuunt, & communicare non desinunt, putantes se tali communione à peccatis posse mundari, sciant hi tales, ad emundationem sibi non proficere, dicente Propheta. Quid est quod Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa; numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?]

D.Bernar. ser. 28. ad sororē de comm.

Si Mahometanis explicaretur, Sacramentum illud, quod vident recipi ab hominibus modo descriptis, ab eisque sæpe ob desidiam, & commoditatem in proprijs domibus, in cubilibus in lectis; continere in se diuinam personam, continere verum Deum, Sanctum Sanctorum, & rerum omnium conditorem; vel hanc veritatem contemnerent, vel insanos putarent, qui tanta frequentia, tantaque irreuerentia Deum in domos suas, intra se ipsos recipiunt. Quando ipsi ad Mahometem adorandum, quem non Deum, sed Dei prophetam falsò existimant, non ad eum intra seipsos recipiendum, sed in Moschæam illi dicatam intrandum, lauant se, & suum corpus emundant, tollunt calceamenta de pedibus suis, & alia multa faciunt, quæ ad reuerentiam, deuotionem, & eximium cultum spectare viden-

videntur, nec audent illo in loco ob reuerentiam falsi prophetæ verba proferre, aut alio quocumque modo perstrepere. Quod ergo hi scandalum sumerent videndo ab immunde viuentibus irreuerentissimo modo tractari, imo deglutiri, quem non prophetam solum, sed Deum verissimum, & hominem sanctissimum credunt; certè existimarent, vt dicebam, aut huiusmodi homines insanire in eo quod dicunt, & credunt; aut in eo quod exercent, & operantur.

Et ex his clarè sequitur, esse hanc sententiam piarum aurium offensiuam; quænam maior offensio, quam audire, non solum licitum esse, sed etiam consultius, magisque sanum, ac magis pium esse consilium, quotidie accedere ad sacram mensam, qui nocte, qui eodem mane turpissima commiserunt peccata, qui (excepta quotidiana confessione, & fortasse aliquando confusione) semper carnaliter; & potius moribus ethnicorum, quam christianorum vixerunt? quænam maior piarum aurium offensio, quam hæc, & alia his peiora audire, quæ ex hac sententia clare inferuntur, & multa, quæ ab ipsismet huius sententiæ authoribus conceduntur?

Et super hæc omnia, tanta, ac tali constantia, seu potius obstinatione huiusmodi authores volunt, & docent debere omnes quotidie sacram Eucharistiam sumere, vt nec etiam feria sexta in parasceue

à ſacra communione ceſſare debeant; quando Eccleſia ob luctum pro Chriſti mortis anniuerſaria recordatione, ſolummodo in ſepulchro eſſe permittit ſacratiſſimum eius corpus, & indulget pro infirmis conſeruari poſſe in loco aliquo remoto à templi corpore, & ab aſpectu fidelium, vt in caſu neceſſitatis infirmis præbeatur. Et huiuſmodi præceptum, ſiue Eccleſiæ ritum non minus ineptè explicant, quam ſupra diximus, explicare, quid pro magna deuotione, & reuerentia intelligi debet: aiunt enim dictum ritum conſeruandi Euchariſtiam pro infirmis non prohibere, ne eam ſani etiam recipere poſſint.

Sed quod iſti authores dicunt, eſt omnino vanum, quia fruſtra Dei Eccleſia addidiſſet, ly, pro infirmis,] ſi etiam ſani ſumere poſſunt: & ſi non, fruſtra; ergo ly pro infirmis,] dicit excluſionem aliorum à ſacra communione, qui non ſunt infirmi. Sicuti ſi datur Baptiſmus, debet conferri in aqua naturali, ly naturali, eſt particula excluſiua omnium aliarum aquarum non naturalium: ergo ſimiliter dicendo, Euchariſtiam tali tempore conſeruari pro infirmis, hoc additum; pro infirmis; erit particula excluſiua eorum, qui non ſunt infirmi, vt ſemper omnes intellexerunt, qui non fuerunt, neque ſunt infirmi.

Sed Pater Pintus trac. 4. cap. vltimo contendit dictam expoſitionem ad Eccleſiæ ritum non ſolum eſſe bonam, & rectam; verum ex eiuſdem etiam

Eccle-

Ecclesiæ sensu conatur ostendere, esse omnino ab omnibus feria sexta in parasceue sacram Euchari-stiam recipiendam; & ad hoc adducit authoritates plurium Conciliorum; Prælatorum quarumdam Ecclesiarum; & Doctorum diuersarum regionum inter quos D. Thomæ 3. p.q.93.ar.2.in corp.& in 4. dist.13.q.2.ar.2. quæstiunc.3. ad 1. & 2. Et D. Bonauenturæ in 4.dist. 11.

Verum iste author frustra laborat, & aliquando sibimet non constat in ijs, quæ scribit in pluribus sui Thesauri discursibus; D. Thomas in locis citatis nihil pro Pinto dicit, neque D. Bonauentura, sed ipse infert quod intendit, ex eo, quod Sancti isti doceant in prædictis locis, & commendent frequentiam sacræ communionis, quæ, vt iam probauimus, non debet, nec potest intelligi, quòd omnino ex necessitate quotidie omnes communicent; & hoc etiam ostendimus authoritate, & exemplo eorumdem Sanctorum Doctorum; nam D. Bonauentura non quotidie communicauit saltem pro aliquo non breui tempore: & D. Thomas in multis casibus docuit, abstinendum esse à communione; & loco 3. partis citato dicit; Quia quotidie indigemus fructu passionis Christi, quotidie in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur.] Vbi ly, regulariter, tollit necessitatem quotidianæ communionis, aut celebrationis, sicque significat, quod fructus passionis, quo indigemus quotidie, participatur per dictum

Sacramentum, etiam si non quotidie in sacrificio offeratur, nec realiter à fidelibus quotidie recipiatur.

In authoritatibus aliorum explicandis non immoror, quia in multis à Pinto allegatis nullo modo, quod ipse asserit, reperitur; sed ex eo, quod Doctores pij, & sancti dicunt, sacram Eucharistiam quotidie esse sumendam, ipse infert, in sententia istorum, esse etiam sumendam feria sexta in parasceue: quia cum indefinitè loquantur; sequitur iuxta principium summulisticum; quo ipse sæpissime vtitur; propositionem, scilicet, indefinitam æquiualere vniuersali: ly, quotidie, indefinitè prolatum, æquiualere omnibus, & singulis diebus, inter quos adest feria sexta in parasceue: At in hoc argumento videtur Pintus sequi consuetudinem discipulorum Sanctij, qui, quod necesse est poni in antecedenti, omittunt, vel supponunt, quod est controuersum, & probandum, vt inferant, quod ipsi intendunt; & non quod ex tali antecedenti integrè, & modo, quo debet, proposito, reuera infertur: sicut patet in casu nostro: nam relinquit Pintus, quod summulistæ addunt dicto principio, idest, In materia contingenti, vel necessaria: si enim ex his, particula adiungatur, quæ antecedenti conuenit, clarè infertur consequentia contra Pintum; quia cum supra probatum sit, realem Eucharistiæ quotidianam sumptionem non esse de materia necessaria,

ria, ſequitur, quod propoſitiones, ſeu loquutiones Sanctorum, aliorumque authorum indefinitæ non ſumi, nec æquiualere debent in hac materia propoſitioni vniuerſali, ſed particulari; iuxta eandem regulam ſummuliſticam, quod eſt contra aduerſarios: & per huiuſmodi loquutiones idem ſignificatur, quod D. Thomas ſignificauit per ly, regulariter, & per ly, quando homo præparatus ſe inueniet, ad ſacram Euchariſtiam recipiendam. 3.p.qu.80. art. 10. & q.83.ar.1.

In quibuſdam autem authoritatibus à Pinto adductis, confuſo quodam modo aliquid ſignificatur de ſumptione Euchariſtiæ feria ſexta in paraſceue; ſed etiamſi hoc expreſſe continerent, ac præceptiuè affirmarent, nullius modo eſſent momenti: quia his temporibus, ex multis Eccleſiæ determinationibus, & ex vſu populorum, qui in virtute earumdem determinationum inualuit, nullus audet prædicto die (præter Sanctij diſcipulos) Euchariſtiam ſumere; taliſque fidelium vſus ordinationibus Eccleſiæ innixus, legis Eccleſiaſticæ vim habere videtur, quæ infallibilis eſſe debet, etiam per ipſum Pintum, vt in diſcur. 1. cap. 12. & alibi ſæpe affirmat, & hoc idem probat authoritate Diui Thomæ.

Quod autem talis vſus fidelium ſit innixus principijs, ſeu determinationibus Eccleſiaſticis, patet ex multis. Et primo, quia Eccleſia expunxit, tam à miſſali antiquo, quam à cæremoniali illa verba,

die

Die veneris Sancti omnes in silentio cõmunicent.] Et in rubrica missalis, quo hoc tempore Ecclesia vtitur, addidit quod feria quinta in coena Domini, Sacerdos consecret duas hostias, quarum vna sit pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum; & item aliquas particulas, seu formas consecratas asseruet, ad infirmos communicandos, si necesse erit.

Nec Pinti responsiones ad has Ecclesiæ dispositiones alicuius sunt ponderis. Nam dicit, quod etiam per canones, & Concilia præcipitur, vt semper in Ecclesia Eucharistia asseruetur; vnde id quod adduximus de consecratione, & asseruatione Eucharistiæ pro feria sexta non est quid nouum, nec aliquid addit determinationibus antiquis. Deinde dicit, Ecclesiæ intentionem non fuisse demere ex missali antiquo, & cæremoniali verba illa, quæ spectant ad communionem, sed alia adiuncta; dicebatur enim à Diacono, Venite fratres ad sacram communionem.]

Sed prima responsio Pinti, quonam modo labefactat, quod Ecclesia specialiter disponit de asseruatione Eucharistiæ pro feria sexta in parasceue? si hæc dispositiò nihil addit antiquis dispositionibus, ergo frustra facta est ab Ecclesia: quod quidem nec Pintus, nec vllus alius audebit affirmare: ergo aliquid speciale indicat. vel scilicet addendo antiquis dispositionibus, vel aliquid explicando. Euchari-

stiam

ſtiam debere ſemper in Eccleſia aſſeruari, eſt certum, eſtque hoc, vt probat Pintus in Iure Canonico, & in Concilijs determinatum; ad eam ſemper quacumque hora neceſſitas coget infirmis præbendam, & ſanis etiam, qui opportuno tempore ſacra Euchariſtia refici cupiunt, & commoditas celebrantis, qui eam ſacrificando conficiat, & conferat, non adeſt. Sed quia tandem Eccleſia, vt dictum eſt, omnino abſtulit vſum communionis feria ſexta in paraſceue, ne exiſtimatio oriretur, quod neque infirmi poſſent illo die communionem accipere; ideo debuit expreſſe addere, vt addidit, quod pro neceſſitate infirmorum aliquæ formæ conſecratæ aſſeruarentur; & ad differentiam aliorum dierum quando pro omnibus ſacra Euchariſtia aſſeruatur, non dixit abſolutè, Formæ conſecratæ aſſeruentur, ſed aliquæ, ideſt tot ſolum, quot neceſſariæ poſſunt exiſtimari ad infirmorum communionem.

Altera Pinti reſponſio multo minùs debilitat Eccleſiæ diſpoſitiones. Nam ſi illa verba; Venite fratres;] continebant aliquod inconueniens, nec tali die aptè proferebantur, Eccleſia debebat illa delere, non ſequentia, quæ ad communionem ſpectabant; non enim erant hæc ita cum illis connexa, vt ſine illis ſtare non poſſent: imò ſi Eccleſia cupiebat, eo die communionem fieri debere à fidelibus, poterat loco illorum verborum; Venite fratres;] ponere iſta alia; Omnes in ſilentio communicent;] quæ apud

apud multas peculiares Ecclesias erant in vsu, vt ipsemet Pintus affirmat; si ergo absolutè, & praecedentia verba deleuit, & sequentia, signum euidens est, quod sicut vult, quod ampliùs Diaconus illa verba; Venite fratres &c.] non proferat, & ideò haec abstulit; ita vt neque illo die sani communionem exerceant, & ideò pariter verba abstulit, quae ad communionem spectabant: sed vult, quod in luctu, & moerore, non solum pro passione, & morte supremi Domini, sed etiam pro carentia, & priuatione corporis eiusdem, fideles illum impendant diem, vt faciunt.

Secundo ostenditur dictum vsum fidelium inniti principijs ecclesiasticis. Ex declaratrone Patrum Congregationis Sacrorum Rituum sub die 19. Februarij 1622. quae declaratio in virtute dictae rubricae appositae ab Ecclesia in nouo Missali procedit, eamque roborat; nam Patres declararunt; si festum Annunciationis Beatae Mariae Virginis coincideret cum feria sexta in parasceve; vt contigit anno 1644. non obligari fideles interesse officio illius diei; & addiderunt, non debere pro festo eo die ministrari sacram Eucharistiam sanis; sed solum infirmis pro viatico. Quid clarius? Et Illustrissimus Praesul Albaspina de veter.ritib.lib.1.obseru.addit, quod non solum die Veneris Sancti sacra Eucharistia fidelibus non dabatur, sed nec etiam diebus, quibus in Ecclesia rigorosum obseruabatur ieiunium. Domi-

Dominicus vero Magri in lib. de notitia vocabulorum, & ſacrorum rituum Eccleſiæ, affirmat, non leuem eſſe aliquarum Eccleſiarum abuſum, in quibus his temporibus, ſacra Euchariſtia die Sabbati Sancti populo diſtribuitur, quam ex ritu Eccleſiæ non ſolum die Veneris Sancti, ſed neque Sabbati debet populus accipere: hac enim (inquit) ratione antiphonam illam, quæ appellatur Poſtcommunio, Eccleſia à miſſa Sabbati Sancti abſtulit, quæ ſimul cum Orationibus ſequentibus; non ſolum pro ſacerdote, ſed dicitur etiam pro ijs de populo, qui poſt communionem ſacerdotis communicarunt, quo tempore debent populum, & non in fine miſſæ ſacerdotes communicare, vt permulti hodie, contra rubricas Miſſalis, & Ritualis Romani ordinationes, exercent; quo modo eos, qui ſacram communionem accipiunt, priuant precibus illis, quæ ſupra omnes recitantur, qui ante eas communicarunt: & ſolummodo in neceſſitate hic author concedit, fieri poſſe in fine miſſæ populi communionem. Et addit noſter Thomas Hurtado in ſuo duplici antidoto contra duplex venenum; Tunc inconueniens non eſſe, populum communicare in fine miſſæ, quando hæc dicitur pro defunctis, quia in ea pro ipſis tantummodo defunctis preces funduntur.

Et ex his tandem concludit Magri, non debere dicto die ſabbati, multoque minus die veneris di-

stribui sacram Eucharistiam populo; quia pluris faciendi sunt sacri Ecclesiæ ritus, quam frigidæ particularium de populo deuotiones, & istis omnino illi præualere debent. Hanc doctrinam maxime roborat noster doctissimus Auersa quæst. 11. de Sacrificio Missæ sec. 13. vbi dicit. Existimandum omnino esse, velle Ecclesiam, ob reuerentiam huius Sacramenti, & Sacrificij, præcepta sua, & ritus, quæ ad hæc spectant, omnibus præualere alijs præceptis, & ritibus suis in materijs quibuscumque; omnibusque indigentijs, ac necessitatibus singulorum: multo magis ergo deuotioni quorumdam, quæ à recta prudentiæ regula, & veræ pietatis motione prouenire non potest; vt in nostro casu; præualere debent.

Tertio id, quod hic intendimus, deducitur ex prohibitione sacræ Congregationis super negotia Episcoporum, & Regularium sub die 22. Martij 1596. Ne Eucharistiæ Sacramentum circumferatur in processionibus die veneris Sancti, nisi solum pro reductione eiusdem à sepulchro ad altare, ad complenda officia illius diei. Ex qua apparet, intentionem Ecclesiæ esse, quod eo die fideles circa Eucharistiæ Sacramentum aliud munus exercere non debeant, quam venerari Dominum suum iacentem in sepulchro, & assistere diuinis officijs illius diei cum mœrore, & luctu, vt obsequijs, & pompæ funeris eiusdem Domini.

Ex

Ex his omnibus infertur, quadam veluti lege Ecclesiastica, non licere modo laicis feria sexta in parasceue sacram Euehariſtiam ſumere: nec eam miniſtrare licitum eſſe Sacerdotibus: & pauci ſolum reperiuntur, qui aſſerant, dictam conſuetudinem non eſſe introductam animo obligandi, ſicque non eſſe legem obligantem; nihilominus adhuc iſti affirmant, non debere eo die ſacram Euchariſtiam à fidelibus recipi, ad euitandam admirationem, & ſcandalum aliorum. Sed cum admiratio cadat ſupra rem omninò inuſitatam, & nouam; & ſcandalum ſupra rem non bene, ſed male factam; hinc in ſententia etiam iſtorum authorum inferre licet, eo die Sacramentum hoc recipere, eſſe apud communitatem fidelium rem omninò inuſitatam, & nouam, eſſeque rem non bene, ſed male factam.

Sed quia maxima propenſio diſcipulorum Sanctij ad quotidianam communionem terminos non agnoſcit: hinc oritur, quod ipſi leges Eccleſiæ ſatis bene non ponderant, eaſque nimis benignè explicant, vt ita omnibus præbeant occaſionem, & commoditatem quotidie ſacram communionem recipiendi. Dicunt enim, debere infirmos quotidie etiam non ieiunos communicare, vt expreſsè Pater Pintus diſcur. 5. cap. 12. Et quamuis hanc ſententiam aliqui authores non reſpuant, dicunt tamen ſolum, probabile eſſe, hoc fieri poſſe. At Pintus, alijque Sanctij diſcipuli addunt, conueniens eſſe, infir-

mos etiam non ieiunos quotidie communicare: & permissionem Ecclesiæ; vt infirmi, ne sine viatico decedant ex hac vita, possint non ieiuni communicare, ait Pintus, debere intelligi benignè; & per ἐπιείκειαν, siue æquitatem explicari, quod quotidie possint infirmi tali permissione vti: quia hoc est Sacramentum pietatis, & existimari debet, piam Matrem Ecclesiam, dum non pro vna, aut pluribus vicibus expresserit, intellexisse, quod semper, & quotidie possint infirmi, dum extra periculum mortis non sunt, vti permissione sumendi sacram Eucharistiam non ieiuni. Et confirmat, ex eo, quod Christus hoc Sacramentum instituit, vt medicinam purgatiuam culparum, & antidotum earundem præseruatiuum, & roboratiuum animæ contra tentationes, atque vt cibum, & nutrimentum quotidianum eiusdem.

Sed Pinti ratio si valeret, multo plus probaret, quam ipse intendit; probaret vtique non solum pro ijs, qui sunt in mortis periculo, sed etiam pro alijs, qui in tanto periculo non sunt (quorum multi ieiuni durare non possunt) quia etiam pro istis est Sacramentum pietatis, & Ecclesia pro omnibus est pia Mater, & debet benignè pro omnibus explicari. Et si effectibus Eucharistiæ, quos Pintus enumerat in confirmatione, indigent infirmi, qui sunt in mortis periculo, indigent etiam alij, qui in tanto periculo non sunt: at si ratio pietatis pro istis non

mili-

militat, nec etiam pro illis militabit; neque per ἐπιείκειαν, ſiue æquitatem, quæ virtus eſt, debent coacto quodam modo determinationes, ſeu conceſſiones Eccleſiæ explicari, vt explicarentur in iſto caſu, & hoc magis patebit ex inconuenienti, & morali impoſſibilitate, quam iſta ſententia continet, vt ſubdam.

Sed valeat argumentum Pinti pro ijs tantum, qui ſunt in mortis periculo. Et quonam modo talis ſententia poſſet in praxi cum debita decentia, & cum debitis circumſtantijs adimpleri: imo abſolute, videtur, nullo modo poſſe exerceri. Nam ſi Parochus (Præſertim in magnis parochijs) deberet quotidie deferre Euchariſtiam in omnium domos, qui graui morbo decumbunt, certè deficeret in via, nec minus deficerent, qui ob reuerentiam, quæ tantum decet Sacramentnm, deberent eidem aſſociari. At Sanctij diſcipuli huic difficultati facilè occurrunt alia doctrina, quam, vt diximus, facto ipſo docent, deferendo ſine ſolemnitatibus in crumena, vt deferri ſolet pecunia, non ſolum infirmis, ſed etiam ſanis diuiniſſimum hoc Euchariſtiæ Sacramentum. Verum, etiam hoc modo, ſi eorum deberet ſententia in exercitio poni, morali impoſſibilitate, vel magna ſaltem difficultate non vacaret.

Communior igitur, ac ſanior Doctorum ſententia in hac materia eſt, quod in mortali periculo poteſt ſemel infirmus non ieiunus Euchariſtiæ Sa-

cra-

cramentum sumere; ne, vt inquit Pintus loco citato; infirmus moriatur sine Eucharistiæ Sacramento, de cuius sumptione in tali periculo adest diuinum præceptum: & ex authoribus putant aliqui, quod post dies aliquot, durante mortis periculo, potest infirmus iterum non ieiunus communicare, & hoc modo benè ac benignè explicatur Ecclesiæ intentio, quia dum per ἐπιείκειαν, siue æquitatem consulitur indigentibus in periculo mortis, non destruitur Ecclesiæ præceptum de ieiunio naturali, quod vtique tale est, vt semper obligare debeat, nisi excuset necessitas. Hinc Tamburinus in opusc. de commun. cap. 5. §. 10. asserit, se monuisse aliquos sacerdotes, quos viderat, dedisse viaticum non ieiuno, cum facile potuissent ieiuno; ea ratione, vt ipse inquit, quia priuilegium eiusmodi non est viatico absolutè concessum, sed sub conditione necessitatis illud non ieiunè sumendi.. vt etiam docet Suarez de Euchar. disp. 69. ſſ. Rogabis initio. & alij fere communiter. Si ergo nec in periculo debet dari non ieiuno viaticum, quando potest ieiuno, quia præceptum ieiunij semper viget, & vrget; quonam pacto existimari, debet, Ecclesiam voluisse permittere, quod, etiam postquam infirmus præceptum de sacro viatico adimpleuit; possit quotidie, imo debeat non ieiunus Sacramentum recipere.

Existimo, Sanctij discipulos, ad hanc fortasse tradendam doctrinam de viatico ab infirmis quo-

tidie

tidie ſumendo, ex eo moueri (præter propenſionem, quam habent, vt indiſcriminatim omnes quotidie ſacram communionem recipiant) vt ſcilicet ſe illis opponant authoribus, qui affirmant, nec in periculo mortis teneri infirmos, ſacram communionem recipere, ſi ſemel in vita communicarunt, vt ſupra diximus. At extrema fuerunt ſemper, & ſunt in omnibus materijs vitioſa, & vitanda, ſed maxime in materijs moralibus, in quibus ſunt valde periculoſa, & ſæpe contingere illud ſolet, quod ab omnibus dici ſolet: Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Vt contigit infelici Eutycheti, qui vt errori Neſtorij opponeretur, in errorem ipſe incidit peiorem, & dum ad extremum alterum inſipienter acceſſit, vt ab altero omnino recederet, receſſit pariter à fide, & profundiorem incidit in foueã, quàm Neſtorius inciderat, à qua, imprudenter ſe illi opponendo, extrahere ſe noluit, ſed alios ſecum traxit in foueam, quam fecit.

Amplius in hac materia non immorabor, ne referendo minutè, quæ Sanctij ſequaces aſſerunt, aut quæ ex eorum ſententia, ac doctrina ſcatent inconuenientia, caput legentium, pluſquam par eſt, obtundat, ac nimium offendam piorum aures; & ab his etiam, quæ dicta ſunt, abſtinuiſſem, ſi & neceſſitas dicendi non me compuliſſet, & D. Bernardus ad dicendum ſuo exemplo non animaſſet.

Nam

Nam concionando iste sanctus ad clerum in Concilio Rhemensi congregatum, sic inquit - Cur ego verecundabor dicere, quod ipsi non verecundantur facere, imo quod Apostolus non verecundatur scribere, & prædicare: dicit autem egregius prædicator; Sic masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem sui erroris recipientes. Fratres factus sum insipiens, vos me coëgistis.] Ita Bernardus, sed quoniam huius deuotissimi sancti fecimus mentionem, incongruum non erit animaduertere, quam longè distet huius sanctissimi viri sententia ab opinione Sanctij; & discipulorum eius: Nam Bernardus serm. supra citato in Concilio Rhemensi, loquendo de puritate, quam habere debent, qui sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere, eoque animas suas enutrire cupiunt, sic ait; Attestatur etiam hanc (idest puritatem) Spiritus Sanctus in lege, qui nemini, nisi mundis, & præsertim à mulieribus, panes propositionis edere sinebat; vnde & Achimelech Dauid Regi de his panibus cum militibus sumere cupienti, non prius concessit, quam eos mundos esse à mulieribus cognouisset, dicente Rege Dauid, si de mulieribus agitur, mundi sunt ab heri, & nudius tertius; iam tunc significante Spiritu Sancto, neminem ad Mensam Christi, ad illumque panem Angelorum debere accedere, nisi purificatum mente, & corpore.] Ecce quam puritatem, & mentis, & corporis requi-

Ad Rom. c. 1.

requirere Spiritum Sanctum, inquit Bernardus, ad panem cœlestem manducandum, & nutrimentum animæ ex eo percipiendam. At puritatem corporis omnino contemnunt dicti authores, & illam, quæ mentis est, non multum curant, quam si homo adhuc turbatam, & ex præteritis actibus, atque imaginationibus, & phantasmatibus immundis vexatam habent, consultius dicunt esse ad sacratissimam, purissimam, & angelicam, imò diuinam Mensam accedere. Et non offendit hæc doctrina aures piorum, quæ quam turpitudinem contineat, quem fœtorem exhalet, & quot modis doctrinæ Sanctorum opponatur, iam audijstis.

Sed tandem caput hoc concludamus censura, illa, quæ à sapientissimis, ac zelantissimis Patribus Sanctæ Inquisitionis in Regnis Hispaniarum, emanauit contra libellos lingua patria à multis conscriptos continentes doctrinam Sanctij de communione quotidiana, quos omnes prædicti Patres prohibitos, ac interdictos esse omnibus, voluerunt. Si doctrina istorum authorum esset ita bona, pia, & sancta, vt ipsi dicunt; ad quid zelantes, & sapientes illi Patres huiusmodi libellos talem doctrinam continentes interdixerunt? Non enim prohiberi solent ab Ecclesiæ Prælatis, nisi libri illi, qui vel contra veram fidem continent doctrinam, vel contra bonos mores. Inferat modo quicumque voluerit; an potius dicendum sit doctrinam istorum

authorum esse bonam, piam, & sanctam, sicque in tali prohibitione Patres illos errasse; vel potius doctrinam esse prohibitione dignam, atque ita iustissimè ab illis Patribus interdictam esse. Equidem qui animaduertet inconuenientia in hoc capite enumerata, & in alijs præcedentibus insinuata, quæ ex doctrina iam dicta emergunt, mergendam iam pridem fuisse in profundum iudicabit, vt de ea nihil amplius audiatur.

CAPVT IX.

Vtrum sufficiens dispositio sit sola carentia culpæ mortalis, ad Eucharistiæ Sacramentum cum vtilitate, & fructu animæ recipiendum?

CERTVM est, nos hic non loqui de dispositione physica, idest quam requirunt Philosophi, ad hoc, vt subiectum recipiat formam physicam, & constituat compositum physicum, siue substantiale, siue accidentale; sed de morali, quæ consistit in operatione affectiua, qua homo per suos actus intellectus, & voluntatis iuxta rectos mores se præparat meritoriè ad formam aliquam recipiendam, quacum dicitur facere compositum mora-

morale, quamuis reuera tam ea, quæ exercet ad ſe diſponendum moraliter, actus naturales, & phyſici ſint; quam ea, quæ recipit, quibus cum dicitur facere compoſitum morale, formæ phyſicæ ſint: ſed nihilominus, quia hæc omnia conſiderantur in genere moris, ac meriti, dicuntur diſponere moraliter, & facere compoſitum morale, ad differentiam diſpoſitionis, & compoſitionis phyſicæ, vbi omnia conſiderantur in genere entis.

Sed cum moralia ſemper in phyſicis fundentur, nec poſſint ſine phyſicis eſſe, hinc ſequitur, habere cum rebus phyſicis maximam proportionem, ita vt, ſicut ſe habet diſpoſitio phyſica ad formam phyſicam, ita proportionaliter diſpoſitio moralis ad formam moralem: & ſicut compoſitum phyſicum ex ſubiecto phyſicè diſpoſito, & forma phyſica conſtat, ita proportionaliter compoſitum morale ex forma morali, & ſubiecto moraliter diſpoſito.

His notatis, adhuc notandum ſupereſt, quod ſicut in rebus phyſicis formæ accidentales ſunt diſpoſitiuæ, ſiue diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, tamquam nobiliorem, & quæ habet conſtituere compoſitum ſimpliciter, illæ vero ſecundum quid, nec vna forma accidentalis dicitur diſpoſitio ad alteram; quamuis ſæpè vna prærequirat alteram; quia omnes ordinantur ad formam ſubſtantialem, ſuntque propter illam, ſiue propter compoſi-

positum substantiale, nec inter se ordinantur, nisi merè per accidens, & præsuppositiuè, vt dicebam: ita pariter in rebus moralibus. Et quamuis in hoc ordine omnes formæ sint accidentales, tamen aliquæ reperiuntur, quæ tanquam formæ substantiales se habent, quia per modum permanentiæ, & stabilitatis constituunt compositum morale, vt sunt habitus supernaturales; præcipua vero ex his formis est gratia habitualis, quæ est omnium veluti fundamentum, siue anima: alij vero habitus, sunt vt eiusdem gratiæ potentiæ, quibus ipsa vtitur ad operandum: sicque sola gratia habitualis est illa, quæ simpliciter constituit compositum morale, facitque hominem filium Dei adoptiuum, & hæredem Regni Patris cœlestis.

Ad hanc autem formam, & ad hoc compositum ordinantur omnes actus humani morales supernaturales, tanquam formæ accidentales dispositiuæ, nec isti actus dicuntnr inter se ordinari, nisi ad summum per accidens, & præsuppositiuè, in quantum vnus debet supponere alium, & tandem omnes per se ordinantur, ad disponendam animam in ordine ad gratiam habitualem.

Hæc doctrina est certissima ex sententia omnium Philosophorum, & Theologorum. Similiter ex doctrina Concilij Tridentini sess.6.cap.5. vbi dicitur. Per Dei excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iu-

iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponuntur] videlicet ad formam gratiæ habitualis, qua iuſtificantur. Hoc idem habetur ex ſeſs. 14. cap. 4. & alijs locis ſæpiſſimè. Ad quam gratiæ formam habent actus humani plus, minuſue diſponere iuxta conditionem formæ cum reſpectu ad cauſam à qua debet effici, ac produci, & vt plus, minuſue poſſit ipſa forma per ſe, ſiue per potentias ſuam virtutem in ſubiecto exercere: non minus ac in formis phyſicis contingit, vt docet D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 6. ad 1. & apud omnes Philoſophos eſt doctrina certiſſima: cum forma phyſica non producatur in ſubiecto, niſi ſit iuxta conditionem formæ ſufficienter diſpoſitum, & in illo magis, minuſue ſuam virtutem exerceat, quo magis minuſue eſt diſpoſitum.

His ergo notatis, neceſſe eſt inquirere, quænam diſpoſitio moralis ſit neceſſaria, ad hoc, vt homo, recipiens Sacramentum Euchariſtiæ, obtineat gratiam habitualem, ſiue eius augmentum. Dicunt authores quotidianæ communionis, non aliam, vt ſæpe notauimus, niſi conſcientiam peccati mortalis non habere. Ad hoc probandum, præter ea, quæ ſupra, ex eorum doctrina, attulimus, & reiecimus; adducunt hæc verba Concilij Tridentini ſeſſ. 13. capit. 7. nimirum; Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamuis ſibi contritus

videa-

videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacramentum Eucharistiæ accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit.]

Hic aduertendum est primo, in loco citato Concilium loqui contra eos, qui negabant præmittendam esse Sacramentalem confessionem ab ijs, qui conscientiam culpæ grauis haberent; & dicebant, sufficere solam contritionem cum voto Sacramenti pœnitentiæ, & hanc esse sufficientem probationem, ad recipiendum Eucharistiæ Sacramentum. Hoc intendit Concilium reijcere, & determinat, præmittendam esse confessionem ab omnibus, quamuis contriti sibi videantur, quod deducit Concilium ex verbis Apostoli; Probet se ipsum homo;] quæ semper Ecclesia intellexit, vt constat ex eiusdem vsu, de probatione per Sacramentum pœnitentiæ, dum non adest maxima necessitas communionis, & deest sacerdos, quocum possit confessio peccatorum præmitti. De reliquo declarat, ex dictis verbis Apostoli, & vsu Ecclesiæ, esse de fide, pręmitti debere sacramentalem confessionem, ad sacratissimam Eucharistiam percipiendam. Et hoc vtique non ad remissionem Concilium declarat, quasi dicat, non aliud requiri; sed ad maiorem pro Sacramento præparationem; dum, etiam si moraliter putet homo, se esse in gratia per contritionem, adhuc

huc dicit, ex Apoſtolo, debere ſacramentalem confeſſionem præmitti, ad maiorem, certamque, quo ad hanc partem, præparationem tanti Sacramenti perceptioni debitam; & ad præceptum de confeſſione adimplendum in tali caſu.

Secundo perpendenda ſunt verba Concilij: non enim dicit Concilium talem præparationem, etiam præmiſſa confeſſione ſacramentali, eſſe ſufficientem ad fructum Euchariſtiæ, ſed eſſe neceſſariam, ne in iudicium homo ſibi manducet, &c. Ideſt ne peccato peccatum adijciat: quia, vt inquit Lugus de Euchar. diſp. 17. ſect. 4. Illa verba Apoſtoli; Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat:] non ſunt conſulentis, ſed permittentis edere, quando præcedit puritas a lethali per pœnitentiam, atque ita per Apoſtolum, & per Concilium, qui probat ſe non habere culpam grauem, non manducat in iudicium: ſed hinc non licet inferre, ergo manducat cum fructu animæ; hæc enim conſequentia non admittitur à philoſophis, quia quando inter oppoſita, ſiue extrema datur medium, non bene ex negatione vnius, infertur aliud: ideo, quia inter viſionem, & cæcitatem datur medium in lapide, exempli gratia, in ligno &c. non bene infertur; non eſt videns, ergo eſt cæcum: ità in caſu noſtro, vt infra manifeſtè patebit. Concilium igitur in citato loco opponitur ijs, qui negabant confeſſionem communioni eſſe præmittendam, vt iam diximus: & per

ea

ea verba præcisè illud solum præcipit, quod ne-
cessarium est, ne quis in iudicium manducet: &, si
aduersarij memores sunt suæ doctrinæ, ex ipsis ali-
qui dicunt, & bene; Ecclesiam non præcipere, nisi
quod necessarium est, consulere vero, quod vtile
est. Et paulò ante Concilium in eodem citato loco
huiusmodi consilium præbet, vt mox dicam: hic
autem solum præcipit, quod necessarium est.

Vnde aduertendum est tertio, supra necessariam
dispositionem, ne quisquam in iudicium mandu-
cet corpus Christi, ponere aliam Concilium in
principio eiusdem capitis, quæ vtique bona, & ap-
ta est, ad effectus huius Sacramenti percipiendos,
his verbis; Si non decet ad sacras vllas functiones
quempiam accedere, nisi sanctè, certè quanto ma-
gis sanctitas, & diuinitas huius cœlestis Sacramenti
viro Christiano comperta est, eò diligentius cauere
ille debet, ne absque magna reuerentia, & sancti-
tate ad id percipiendum accedat.] Certè vnusquis-
que facile cognoscet, quantum hæc verba Concilij,
secundum communem modum loquendi, & adhuc
secundum rem ipsam, distent ab eo, quod est, se
probare per solam carentiam peccati mortalis; nec
aliquis erit (præter Sanctium, & eius discipulos,
quorum dicta vt minus apta sufficienter supra reie-
cimus) qui dicat, quod si quis cum sola carentia
peccati lethalis accederet; vtique accederet cum ma-
gna reuerentia, & sanctitate; & quod in citatis ver-
bis

Sess. 13. cap. 3.

bis hoc ſolum voluerit Concilium ; ideſt quod accederent homines cum ſola carentia culpæ grauis, & iudicauerit hanc eſſe magnam reuerentiam, & ſanctitatem requiſitam ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum recipiendum.

Et ad clarè ſignificandum Concilium ; intentionem ſuam eſſe, quam nos diximus, non quam aſſerunt Sanctij diſcipuli : ſequenti capite, ideſt octauo, agendo de ijs, qui ſacramentaliter, & ſpiritualiter cum fructu ſumunt hoc Sacramentum, dicit : Hi ſunt, qui ita ſe probant, & inſtruunt, vt veſtem nuptialem induti &c.] Quis non agnoſcat ly (inſtruunt) aliud ſignificare, ac ly (probant) per hoc enim verbum ſignificat Concilium, vt dictum eſt, carentiam peccati, & ſtatum gratiæ; per illud vero, vt ex vi ipſius verbi patet ; apparatum ſiue ornatum actuum aliorum habituum ſupernaturalium, nempe virtutum, quibus anima mira varietate ornare ſe debet, ſibique aptare veſtem nuptialem, vt ita bene diſpoſita per gratiam, & alias virtutes, reuerens, & ſancta appareat dignè in conuiuio nuptiali ; & ſuauitatem cœleſtis panis, ac fructum refectionis eiuſdem percipiat. Matt. c. 22.

Et hæc, quæ dicta ſunt, ſanctitatem importare, & non ſolam carentiam culpæ lethalis, ex verbis Chryſoſtomi ſupra cap. 3. adductis clarè cognoſcitur : vbi Sanctus Doctor dicebat: Sanctos non mundatio à peccatis tantum facit, ſed etiam præſentia

ſpiritus, & bonorum operum opulentia.] Et addit Rupertus. Quid enim eſt ſanctificari, niſi abſtinere à licitis, nam qui abſtinet ſolummodo ab illicitis, pœnam quidem euaſit peccati, ſed gloriam nondum eſt aſſequutus ſanctitatis.] Si ergo Concilium vult, quod, qui accedunt ad Euchariſtiæ Sacramentum, non ſolum cum probatione illa Apoſtoli, ne in iudicium comedant, ſed adhuc cum magna ſanctitate accedant: vtique vult, quod non ſolum cum carentia lethalis peccati accedant, ſed etiam cum ornatu bonorum operum: vt ita, magna cum ſanctitate accedentes, tanti Sacramenti fructum percipiant; neque ly (magna) poteſt intelligi de maiori gratia, quia quilibet gradus per aduerſarios eſt ſufficiens ad hoc Sacramentum dignè recipiendum, & eius fructus abundè percipiendos.

Atque hunc iam dictum eſſe ſenſum Concilij; nempe, vt cum fructu hoc Sacramentum recipiamus, non ſufficere ſolam præparationem per carentiæ peccati probationem, ſed aliam requiri magnæ reuerentiæ, & ſanctitatis: clarè deducitur ex verbis Catechiſmi Romani, quæ quidem omnia ſunt ad explicandam doctrinam, & declarandam mentem Patrum Concilij: nam in Catechiſmo, vbi agitur de præparetione requiſita iuxta Concilium, ad hoc Sacramentum dignè recipiendum, permulta enumerantur, (de quibus nos infra) quorum aliqua ſpectant ad animæ ſanctitatem, aliqua ad corporis puríta-

ritatem: ſubdit inde Catechiſmus. Hæc omnia fere ſunt, quæ debent obſeruari, vt cum fructu hoc Sacramentum percipiatur.] Et ne putaremus, ea ſolum ſpectare ad mundandam à peccato lethali conſcientiam, ponit exemplum Chriſti, qui antequam Apoſtolis ſuum corpus præberet, etiamſi à peccato graui mundi eſſent, voluit eorum pedes lauare, vt vtique mundi etiam eſſent à leuibus, qui iam mundi erant à grauibus, & hac ratione dixit; Qui lotus eſt, non indiget, niſi, vt pedes lauet, & eſt mundus totus.] Et qui non eſt mundus totus, etiamſi mundus ſit à peccatis grauibus, non habebit partem cum Chriſto in hoc Sacramento, vt idem Chriſtus dixit Petro, qui pedum lotionem non curabat; ideſt non habebit huius Sacramenti fructum, qui eſt pignus vitæ æternæ, quapropter dicitur in eodem Catechiſmo, loco citato; Ad Chriſti Corpus ſacramentaliter recipiendum cum vtilitate, hanc præparationem eſſe maximè neceſſariam.] Et adhuc aduertendum eſt, quod poſteaquam Catechiſmus multa enumerauit, vt neceſſaria pro digna, & vtili perceptione huius Sacramenti, ſubdit immediate. Et ne aliqui negligentes efficiantur, & pigri in perceptione huius Sacramenti, dum graue, ac difficile eis fortaſſe videbitur tantam præparationem facere &c.] non ſubiunxit ad animandos, & incitandos fideles ad tanti Sacramenti frequentiam; quod poſſent aliquid de

præparatione dicta imminuere: sed potius eos admonet de obligatione, quam habent hoc Sacramentum recipiendi, quos hortatur, vt illud frequentiùs, quam obligantur, recipiant; Et præcipit Parochis, vt suos subditos moneant, & ad frequenttam huius Sacramenti stimulent. Si vtique sufficeret sola confessio grauium peccatorum, ad Eucharistiam cum vtilitate animæ percipiendam, iam facilè potuisset addere, ad eos animandos; Qui nolunt, aut non valent tantam perficere præparationem, mundent se saltem à culpa graui, & sæpiùs accedant; hoc minimè dixit, quia certè ita accedere, non est cum fructu, hoc Sacramentum recipere, sed non in iudicium Christi Corpus manducare.

Et ex dictis facilè colligi potest, triplicem esse ad hoc Sacramentum dispositionem: aliam dignam; aliam non dignam; aliam indignam: hæc vltima est, de qua dicit D. Paulus; In iudicium, & condemnationem manducare, qui cum ea ad Christi Corpus præsumit accedere, quia cum positiua indignitate peccati recipit Christi Corpus, quæ est dispositio non ad Christi Corpus, sed ad Belial recipiendum, vt contigit Iudæ. Secunda est illa, quam requirit Concilium, vt absolutè necessariam ex Apostolo, ad non manducandum cum damno animæ; quamuis nec etiam cum eius fructu, & vtilitate; estque, quando non ést in anima culpa grauis, sed quia deest illi dispositio requisita à San-

ctis

ctis Patribus, à Concilio, & Catechiſmo, ad effectus huius Sacramenti percipiendos, ideo eos Sacramentum non confert, præcipue gratiæ habitualis, & charitatis augmentum, quia diſpoſitionem neceſſariam ad huiuſmodi effectus in ſubiecto non reperit. Sicut ignis non producit formam ignis in ligno, quando non reperit diſpoſitiones ad eam requiſitas: & hæc diſpoſitio, ſeu præparatio appellari debet, non digna, quia non eſt poſitiuè indigna per culpam grauem, vt altera, nec poſitiue digna per ſufficientem deuotionem, reuerentiam, & actualem amorem: & illa diſpoſitio, quæ hæc habet, erit prima diſpoſitio, quæ ſuperaddit ſecundæ, & reddit ſubiectum aptum ad admirabiles huius Sacramenti effectus, & dicitur diſpoſitio digna.

De ſecunda diſpoſitione, exiſtimo intelligendum eſſe, quod legitur Matth. 22. De illis malis, qui in conuiuium nuptiale intrauerunt, ex quibus vnus tantum proiectus eſt in tenebras exteriores, quia ille ſolus cum vltima diſpoſitione, ideſt indigna repertus eſt, ſicque ſine veſte nuptiali gratiæ; alij vero non ſine hac veſte, ſed cum ea, male tamen aptata, & non parum defectu feruoris decolorata charitatis, ideſt non peſſimi, ſed mali: at quia cum bonis compulſi ſunt intrare (vt ſæpè non bene conſiderato Directoris imperio, aut nimia eiuſdem facilitate contingit) ideo permiſſi ſunt,

non

non tamen libenter admissi, aut acriter repulsi.

Sed deducendo rationem in hac morali materia à rebus physicis; quibuscum iam diximus maximam habere res morales proportionem, tam in compositionibus, quam in productionibus, vt potè in illis omnino fundatas; ita proponitur: certum est apud Philosophos, agens non producere realiter in subiecto formam substantialem, etiamsi, per possibile, vel impossibile, omni alia forma substantiali denudaretur, nisi illud prius accidentibus ad formam producendam proportionatis disponatur; sic, si Deus destrueret in materia ligni formam ligni, nec aliam substitueret, ignis approximatus nequaquam produceret in illa materia formam ignis, nisi eam prius per siccitatem, & calorem disponeret: quia sicut nulla forma potest naturaliter sine debita dispositione in subiecto conseruari, ita nec produci, imo multo minus produci: cum minor dispositio sufficiens sit, ad hoc vt forma in subiecto conseruetur, quam vt de nouo ab agente producatur.

Qui habet aures intellectus apertas, certè intelliget, quam bene hæc doctrina physica probet intentum in nostra materia morali. Iam supra diximus, formam quasi substantialem in hac materia esse gratiam habitualem, & charitatem; quæ reddit hominem habitualiter, & permanenter Dei filium; & omnes actus morales ad hanc formam

ordi-

ordinari, ad eamque meritoriè disponere animam, vt in ipsa ita disposita à Deo immediate, vel mediantibus Sacramentis, producatur: vnde etiam si anima denudata esset omnibus alijs formis oppositis, & impeditiuis gratiæ, vt sunt peccata mortalia, nihilominus adhuc gratia habitualis à Sacramento Eucharistiæ in ea non produceretur, quousque adessent illæ dispositiones, quibus subiectum (idest ipsa anima) redderetur aptum ad receptionem: sicque causa ad productionem formæ habitualis gratiæ: quænam huiusmodi dispositiones sint, iam patet ex supra dictis, & infra magis ex dicendis patebit.

Solum posset contra hanc doctrinam militare, quod alia Sacramenta, quæ dicuntur viuorum, & non sunt instituta ad conferendam per se primam gratiam, sed eius augmentum, vt est etiam Eucharistiæ Sacramentum, per solam carentiam formæ oppositæ, idest peccati mortalis, conferunt suam gratiam; quare Eucharistiæ Sacramentum, quod alijs præstantius est, eam non conferet, si peccati grauis carentiam reperiet in subiecto?

Ad hoc argumentum responsio, ex iam dictis, & ex verbis ipsiusmet argumenti deducitur; ex maiori scilicet præstantia huius Sacramenti (quamuis argumentum non contineat omnimodam veritatem, quia vt ex dictis constat, alia etiam Sacramenta præter statum gratiæ, & carentiam culpæ

gra-

grauis, indigent aliqua dispositione per actum hominis.) Causæ enim creatæ quanto sunt nobiliores, & nobiliorem producunt formam, tanto maiorem requirunt in subiecto dispositionem ad illam producendam; sicque maior dispositio requiritur in subiecto ad productionem animæ rationalis, quam animæ sensitiuæ; & maior ad istam, quam ad animam vegetatiuam; & adhuc maior ad istam, quam ad formas non viuentium: & quamuis gratia habitualis, quæ ab hoc, & alijs Sacramentis producitur in anima, sit eiusdem rationis in se præcisè, & absolutè secundum suum esse considerata: tamen considerata pro vt à tali causa procedit, & vt datur ad aliquem finem specialem, habet quodammodo non solum respectiuè, sed etiam absolutè induere quamdam maiorem nobilitatem, & virtutem, sicque requirit, & ratione suæ præstantiæ maioris, & maioris pręstantię suæ causæ, aliquam maiorem dispositionem in subiecto, quam requirat quando prouenit, seu producitur in virtute aliorum Sacramentorum.

Et ratio huius responsionis non obscure deducitur ex doctrina D. Thomę 3. p.q. 79. ar. 1. vbi in responsione ad primum argumentum, assignando disparitatem inter gratiam, quæ confertur per confirmationem, & per Eucharistiam, inquit; Per Sacramentum confirmationis augetur, & perficitur gratia ad persistendum contra impugnationes exte-

riores

riores inimicorum Christi: per Sacramentum vero Euchariſtiæ augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita, ad hoc vt homo in ſe ipſo perfectus exiſtat per coniunctionem ad Deum.] quod idem eſt ac dicere; per confirmationem augetur gratia, ratione fidei; per Euchariſtiam vero, ratione charitatis: ad quam intentionem in corpore articuli dixerat ex Auguſtino; Ideo materiam huius Sacramenti conſtare ex ijs rebus, quæ ex multis rediguntur ad vnum, vt ex multis acinis vinum, & panis ex multis granis. Ac deinde cum eodem Auguſtino exclamat; O Sacramentum pietatis, ò ſignum vnitatis, ò vinculum charitatis.] Hoc idem repetit in reſponſione ad ſecundum, vbi dicit, hoc Sacramentum conferre gratiam ſimul cum charitate; ideoque Damaſcenum comparaſſe illud carboni ignito, quem Iſaias cap. 6. vidit. Hoc idem ſæpiſſime repetit S. Doctor vbi agit de hoc Sacramento. Adde quod de nullo ſacramento in ſacra Scriptura legitur, vt de iſto, inſtitutum nempe fuiſſe, ex ſummo Chriſti deſiderio, vt in hoc Sacramento ſe hominibus totum, & totaliter daret, ſicque ex ſumma dilectione, quam in fine erga homines voluit demonſtrare in huius Sacramenti inſtitutione, relinquendo illis perpetuò panem Angelorum, præbendo nempe eis ſeipſum in cibum, vt ita eſſet memoriale perenne præcipui ſui amoris erga nos homines, & cauſa noſtri erga ipſum. Luc. c. 22.

Si res igitur ita se habet, vt forma, seu effectus huius Sacramenti, & ratione sui (quia producitur expresse in ratione charitatis, quæ talis est, vt virtutum omnium maxima sit, ex Apostoli sententia, & sine qua omnes aliæ nihil valeant, sintque ex Angelico Doctore sicut corpus sine anima) habeat maiorem dignitatem; & permaximam etiam ratione suæ causæ, quæ est hoc Sacramentum continens in se Authorem, & Fontem vitæ, omnisque gratiæ; imò ipsemet sub speciebus panis, & vini hoc Sacramentum instituit, & ipsemet realissime intrat in animam, eique formam dignissimam gratiæ confert sub expressa ratione charitatis: affirmari omnino conuenit, multo maiorem requiri in subiecto dispositionem, vt à tam digna causa, qualis est hoc Sacramentum, tam digna forma, qualis est gratia in ratione perfectissimæ virtutis charitatis, & omnimodæ coniunctionis creaturæ ad creatorem, producatur. Non ita vero pro alijs sacramentis, vt patebit, si ipsorum sacramentorum ratio, eorumque vis, & singulorum effectus considerabuntur.

1.Corint. c.13.

Potest item ad argumentum, siue instantiam magis breuiter, sed non minus aptè responderi. Præter carentiam culpæ grauis, quæ requiritur, ad hoc vt alia sacramenta conferant gratiam, aliquid plus requiri, ad hoc vt Sacramentum Eucharistiæ eam conferat, non ratione gratiæ secundum se, quæ

ab

ab hoc Sacramento conferri debet: ſed ratione ipſius Sacramenti, quia, cum hoc contineat in ſe ipſummet Authorem ſacramentorum, ipſumque Deum; diſpoſuit, & quidem conuenientiſſimè, Deus, vt maior diſpoſitio ad hoc, quam ad alia ſacramenta requiratur, ita vt præter carentiam culpæ mortalis, requiratur in ſubiecto, ad recipiendum cum fructu hoc ſacramentum, magna reuerentia, deuotio, & actualis amor, vt ex D. Thoma iam diximus. Huiuſmodi etiam diſpoſitionem, videtur expoſcere ipſamet huius ſacramenti inſtitutio: quia, vt dictum eſt, fuit inſtitutum ex ſummo Dei amore erga homines, ſicque non ſolum decens, ſed etiam iuſtum apparet, homines, ad illud in ſe recipiendum, debere diſponi per actualem amorem, & per reuerentiam, & deuotionem; quæ à creaturis debentur ſemper Creatori, ac Deo ſuo; ſad tunc maximè, cum illum in ſui cordis domicilium per hoc amoris ſacramentum reali, & ineffabili modo recipiunt. Et hanc conuenientem, ac iuſtam diſpoſitionem ad hoc ſacramentum recipiendum, Deum de facto determinaſſe, ita, vt iam diximus, debere eſſe, colligitur ex ſenſu omnium Doctorum, omnium Patrum, & ipſiuſmet Eccleſiæ, vt hactenus latè oſtendimus in præcedentibus capitibus.

Huiuſmodi reſponſionis à nobis datæ ad difficultatem, ſicut tota etiam huius capitis doctrina clarius in ſequenti capite patebit, vbi non ſolum validis

rationibus probabimus, sed etiam fundamentalitet ostendemus, quo pacto fieri possit, vt Sacramentum Eucharistiæ recipiatur, tum sine receptione nouæ alicuius gratiæ, tum sine noua graui culpa.

CAPVT X.

Vtrum dari possit Sacramentum Eucharistiæ validum, & informe.

DARI Sacramenta valida, & informia, idest sine effectu gratiæ habitualis, quem deberent producere, si non inuenirent obicem in subiecto, est plus quam certum apud Theologos; solum quæstio inter eos est aliqua; an hoc verificetur de omnibus, vel solum de aliquibus; & controuersia reducitur ad sacramenta Eucharistiæ, & poenitentiæ; & de isto adhuc magis communiter conceditur, posse esse validum, & non formatum, quod diuersimodè authores explicant, vnusquisque secundum sua principia, quæ hìc referre, non spectat ad nostrum institutum.

De Eucharistiæ Sacramento omnes quoad rem tenentur concedere, quamuis quoad nomen, id multi recusent, quia putant hoc Sacramentum non semper producere suum effectum gratiæ, vt faciunt alia Sacramenta, quando recedit fictio, & adest debita

bita dispositio. Sed de hoc quidquid sit, parum ad id refert, quod nos intendimus in hoc opusculo, & quoad rem, omnes fatentur, quod intendimus, nimirum posse hoc sacramentum ita recipi, vt sine noua culpa recipiatur, & sine effectu gratiæ, neque aliud debet in rei veritate intelligi pro Sacramento valido, & informi; quod autem non debeat ita appellari, quia non semper producit effectum gratiæ, vt alia Sacramenta, recedente fictione; hoc vt dicebam, spectat ad quæstionem de nomine: præterquam quod multi concedunt, sacramentum Eucharistiæ semper producere suam gratiam, recedente fictione, eo modo, quo alia producunt sacramenta; ita Caetanus, Bonacina, & alij, vt refert Henriquez lib.1.de Sacramentis c.25. n.7. quamuis isti authores, non omnes conueniant in assignatione fictionis, & modi, quo ipsa fictio recedit, cum alij nimis largè, nimis vero strictè alij in hac materia loquantur, nos aliquid infra de ijs, quæ ipsi dicunt, attingemus, prout spectabit ad nostram materiam.

Sed dato, quod hoc sacramentum non semper producat, recedente fictione, gratiam, vt alia faciunt sacramenta; & puto verum dicere, qui hoc asserunt: quia aliquod non parui momenti sequeretur contra experientiam inconueniens, si hoc Sacramentum conferret gratiam omni tempore, quo fictio recederet (quod inconueniens infra ponetur)

adhuc

adhuc tamen & re, & nomine debet connumerari inter alia sacramenta, quæ dicuntur valida, & informia. Ratio est, quia sufficit, ad hoc, vt sacramentum Eucharistiæ ita appelletur; vt possit conferre gratiam toto illo tempore, quo species sacramentales incorruptæ perseuerant in stomacho, si interim recedit fictio. Quia cum sit datum hominibus, vt inquit D. Thomas q.79. ar.1. in corp. tamquam cibus spiritualis, & potus, ad augendam gratiam per modum nutrimenti; non videtur congruũ posse, aut debere talem effectum præstare, nisi pro eo tempore, quo habet rationem cibi, estque toto illo tempore, quo species sacramentales permanent incorruptæ: sicuti cibus corporalis habet nutrire hominem, dum retinet rationem cibi, deinde vero quando transit in aliam substantiam, non habet amplius rationem cibi, nec dicitur nutrire, sed potius indiget homo alio cibo, vt nutriatur. At vero alia sacramenta, quæ non sunt data cum hac limitatione nutrimenti, sed ad diuersos alios fines, non est mirum si semper, recedente fictione, possint producere suum effectum; eo vel magis potuit, & debuit hoc tribui alijs, & non isti sacramento, quia ex ijs aliqua non nisi semel suscipi possunt, alia vero raro, vel non ita frequenter, vt potest, & debet hoc recipi sacramentum.

Sed, vt quæ dicta sunt, fiant planiora, sciendum est aliqua sacramenta appellari mortuorum, vt

sunt

ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, reliqua verò viuorum, quia illa non ſupponunt ſubiectum cum gratia habituali, ſed ſunt inſtituta à Chriſto ad primam gratiam conferendam; alia vero, quantum eſt ex vi ſuæ inſtitutionis, non ſunt ordinata ad conferendam per ſe primam gratiam, ſed ſupponendo in ſubiecto gratiam, ſunt inſtituta, ad hanc ſuo modo augendam. Hoc manifeſtè patebit, conſiderando naturam, & rationem cuiuſcumque ſacramenti: & ne longius euagemur, hoc Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt inſtitutum per modum cibi, ſeu nutrimenti ſpiritualis animæ, habet præſtare ex vi ſua, vt affirmat Diuus Thomas, loco ſupra citato, illos effectus ſpiritualiter per gratiam in anima, quos in corpore cibus corporalis, videlicet ſubſtentandi, augendi, reparandi, & delectandi; at certiſſimum eſt, cibum corporalem huiuſmodi effectus non præſtare, niſi in corpore viuentis: ſicut ergo materialis cibus ſupponit vitam in animali ad ſuos effectus producendos, ita cibus ſpiritualis vitam in anima, hoc eſt, animam liberam à peccati morte, & viuentem per gratiam ſanctificantem, vt regenerationis in Baptiſmo, aut reparationis in Pœnitentia.

Sed nihilominus Deus ob ſummam ſuam pietatem, ad magis ſubueniendum noſtræ imbecillitati, voluit magnifico quodam modo illam vim præſtare cibo ſpirituali, quam nullo modo habet corporalis;

ralis;

ralis; vt nempe in aliquibus occasionibus spiritualis cibus, etiam spiritualiter mortuo suos effectus communicaret, qua ratione dicunt theologi, sacramenta viuorum per accidens præstare aliquando effectum mortuorum, conferendo primam gratiam; hoc est, cum non sint instituta, ad producendam per se primam, sed ad primam gratiam augendam, quando illam primo producunt, dicuntur non per se, sed per accidens producere; idest in aliquo accidentali casu; vt nimirum (& sunt verba D. Thomæ q.79.ar.3.in fine corp. loquendo de sacramento Eucharistiæ) si percipitur ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet, fortè enim primo non fuit sufficienter contritus, sed deuote, & reuerenter accedens consequitur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.] similiter etiam si quando bona fide recipit hoc sacramentum, & tunc non habet actum attritionis, & ea quæ sunt necessaria ad obtinendam primam gratiam per accidens, vt dictum est, si deinde, dum adhuc species sacramentales perseuerant, sufficienter se disponit, tunc sacramentum, in omnium fere sententia, producit primam gratiam, eo modo quo à principio produxisset, si adfuissent dispositiones; quia sicuti toto eo tempore, quo perseuerat in homine Eucharistia in ratione sacramenti, augetur semper gratia in virtute eius; si toto eo tem-

pore

pore auget homo dispositionem per suos actus bonos: ita pariter, si eo tempore, primò se disponit, primam gratiam recipiet: & ratio à priori est, quia quousque in suo esse permanet sacramentum præstat omnem effectum, quem præstare potest in subiecto capaci, cui est applicatum, vt est manifestum in causis physicis, & naturalibus, quibuscum morales diximus habere proportionem.

Hæc doctrina, quamuis ab aliquibus authoribus non approbetur, qui putant, hoc sacramentum non producere gratiam, nisi in ipsa sumptione, & non deinceps, tamen magis communiter approbatur ab authoribus doctissimis, & pijssimis, à multis etiam eorum, qui negant, sacramentum Eucharistiæ, dici debere validum, & informe, vt videre est apud Auersam de Euchar. q. 7. sect. 6. Est pariter rationi magis consona, sicque ex vtroque capite, & ab intrinseco, scilicet, & ab extrinseco magis probabilis. Adde quod ad deuotionem, & pietatem mouet, & stimulat omnes.

Ex his iam deduces, quod dicebamus; posse, scilicet, hoc sacramentum valide recipi, sed sine forma gratiæ, quam deinde habebit, si homo se disponet; & tunc sacramentum dicetur, & validum, & formatum. Sed non in solo casu posito hoc sacramentum erit validum, & informe, sed in alijs multis: quia non solum causa non producit effectum, seu formam, quando in subiecto adsunt dispositio-

nes contrariæ, vt præcedenti capite diximus, sed etiam quando non adsunt proportionatæ dispositiones ad formam producendam; cumque iam probatum sit in dicto capite, ad formam gratiæ per hoc sacramentum producendam in homine, præter probationem ipsius hominis per carentiam peccati, aliquid amplius requiri, ad disponendam animam, vt sit subiectum capax talis formæ, ab hoc sacramento producendæ: quandocumque igitur subiectum per carentiam eorum, quæ debent ipsum disponere sufficienter ad formam, non erit aptè dispositum, & forma gratiæ non producetur, nisi, dum sacramentum permanet in homine per integritatem specierum, ipse ea exerceat, quibus apte se disponat ad formam.

Et quoad debitam dispositionem, vt hoc sacramentum suam formam producat, ita strictè aliqui authores loquuntur, vt non solum requirant dispositionem, quam supra significauimus, & infra magis declarabimus, sed etiam actualem attentionem, & deuotionem. Ita Durandus, Bonacina, Alensis, D. Antoninus, Siluester, Petrus Soto, & viriliter pugnat pro hac sententia Caetanus agendo de effectibus Eucharistiæ ar. 1. & adducit D. Thomam, qui huic sententiæ fauet in 4. dist. 12. qu. 2. ar. 1. quæstiunc. 3. & explicat locum eiusdem S. Doctoris p. 3. q. 79. ar. 8. vbi videtur significare, actualem distractionem impedire quidem aliquem effectum huius sacra-

ſacramenti, non vero effectum habitualis gratiæ. Et omnes iſti authores id aſſerunt, quod nos ſupra dicebamus; poſſe nempè homines, ita accipere ſacramentum in ſtatu gratiæ, vt nec augmentum gratiæ, per communionem recipiant, nec priorem gratiam per peccatum amittant.

Huic ſententiæ multum fauere videntur ſancti Patres, etiam illi, qui ab aliquibus Doctoribus adducuntur, qui authoritatibus potius, quam rationibus innixi, vt cap. 3. dicebamus, ſcripſere, poſſe omnes quotidie ad communionem accedere, ſi à culpa graui ſolummodò immunes reperiuntur. Nam omnes Sancti Patres, qui multum commendant frequentiam ſanctiſſimæ communionis, omnes etiam maximè commendant, ſatiſque exaggerant qua cum diſpoſitione, qua cum reuerentia, & maxima deuotione, debet vnuſquiſque ad tam diuinum ſacramentum accedere. At hæc prædicti Doctores, in referendis pro ſua ſententia authoritatibus, non conſiderauerunt, vt ante notauimus.

Sed quidquid ſit de hac tanta diſpoſitione, quam citati authores requirunt, per quos neque virtualis deuotio, reuerentia, & filialis amor eſſent ſufficiens diſpoſitio, ad hoc vt ſacramentum Euchariſtiæ conferret ſuum effectum gratiæ habitualis, dum actualem requirunt deuotionem &c. ad effectum ſacramenti: & D. Thomas loco citato 3. partis quamuis per actualem diſtractionem non neget effectum

gratiæ, negat tamen effectum refectionis spiritualis dulcedinis, quem producere solet hoc sacramentum in ijs, qui cum actuali attentione, & deuotione illud recipiunt. Et alij authores fere communiter asserunt, auxilia gratiæ ab hoc sacramento non communicari ijs, qui sine actuali deuotione illud recipiunt, & addunt, diminui etiam effectum gratiæ habitualis per distractionem, quia diminuitur debita dispositio ad illum. In nostra autem sententia certum esse debet, vt colligitur ex dictis, quod si in recipiente hoc sacramentum, non reperitur virtualis saltem deuotio, reuerentia, & filialis amor, sine fructu, & vtilitate illud recipit.

Hoc primò ostendi potest testimonijs Catechismi Romani, & D. Thomæ. Nam Catechismus agendo de præparatione necessaria ad hoc sacramentum, vt capite præcedenti diximus, requirit multa, vt homo aptè se disponat, præsertim deuotionem, & reuerentiam, ad illud cum vtilitate percipiendum. Hoc idem confirmat D. Thomas q. 80. ar. 10. in corp. vbi inquit, quod cum vtilitate non recipit, qui propter impedimenta cum deuotione hoc sacramentum non recipit.] huiusmodi testimonia, siue authoritates explicari, & intelligi saltem debent de præparatione, & deuotione virtuali, si non de actuali, vt citati authores volebant. Si ergo sine hac præparatione saltem virtuali non recipitur Eucharistiæ sacramentum cum vtilitate, ergo non

reci-

recipitur in tali acceptione eius effectus, quia non aliud significare potest, ly non recipitur cum vtilitate.

Secundò suadetur ratione à priori, quæ in Catechismo loco sæpe citato insinuatur. Nam sacramentum hoc auget gratiam per modum cibi, ergo per modum nutrimenti, sed cibus corporalis, vt aliquem nutriat, duo requirit. & actionem vitalem eius, qui nutriri debet; & bonam eiusdem dispositionem; nam si calor naturalis omnino otiosus manet, vel in stomacho magna rheumatum congeries reperitur, certe cibus sumptus, vel nihil prodest, vel obest, quia vel non transit in substantiam animalis, vel rheumata auget, in quæ conuertitur; non ita si stomachus vacuus, & purus est. Sic proportionaliter in hoc cibo spirituali; nam si ita illum sumas, vt nulla in te sit actio vitæ spiritualis saltem virtualis, & terrenis affectibus obumbreris, sitque cor tuum, (etiam citra culpam mortalem) ad vana, inutilia, & delectabilia propensum, hisque perindè plenum; quam spiritualem cibi cælestis famem potes habere? & sic quam vtilitatem, quem fructum potes sperare ab hoc cibo cœlesti? qui, quò magis suauis, & pretiosus est, quo magis substantialis, ac viuificus est, eò maiorem requirit calorem charitatis, eò maiorem cordis puritatem, vt te nutriat, vt te roboret, vt te crescere faciat.

Tertiò ratione à posteriori, meo videri, satis valida,

lida, probatur. Quia si omnes, qui hoc sacramentum recipiunt cum sola carentia culpæ grauis, tamen sine deuotione, aut alia debita dispositione, sed potius ex consuetudine quadam, & regulariter arenti corde, reciperent augmentum gratiæ, & charitatis, (hoc enim sacramentum, vt inquit D. Thomas q.79.ar.1.ad secundum confert gratiam cum virtute charitatis) permaximam deberent habere gratiam, & charitatem permulti sacerdotes & laici, qui quotidie hoc sacramentum per plures annos receperunt, sicque deberent isti feruentissimos actus charitatis elicere, atque in occasionibus suæ charitatis feruorem ostendere, charitas enim otiosa esse non potest; vnde dixit Magnus Grego-
homil. 30. in Euang. rius in homilia Pentecostes; Amor Dei non est otiosus, magna enim operatur, si est (quia vt ipsemet addit) Probatio dilectionis exhibitio est ope-
q.79. art. 1. ad 3. ris.] Quibus Gregorij verbis subdit D. Thomas. Ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ, & virtutis (idest charitatis) confertur, sed etiam axcitatur in actum, secundum illud ad Cor. 5. Charitas Christi vrget nos.] Isti igitur in occasionibus saltem exercendi charitatem, deberent per actus talis virtutis (quæ in ipsis intensissima, & maxima esse deberet ex diuturna, & quotidiana huius sacramenti receptione) præstantissima, & maxima exempla charitatis ostendere; quia si est, ex Gregorio, magna opera-

tur, nec poteſt non operari, quia otioſa eſſe non poteſt: imò hac ratione, ſi magna eſt, nec expectare ſolet occaſiones, ſed eas inquirere, ac inueſtigare, quod indicat illud verbum Apoſtoli; Vrget nos] at experientia oſtendit contrario modo rem ſe habere; experimur enim, minoris eos, qui conſuetudine quadam, & ſine ſufficienti ac debita diſpoſitione quotidie ad ſacram Menſam accedunt, charitatis, & perfectionis eſſe ſolere in fine, quam erant in principio.

Nec putandum eſt, omnes iſtos cum graui culpa hoc ſacramentum recipere, ſed cum ſola potius culpæ carentia, quæ cum ſufficiens diſpoſitio non ſit ad effectus huius diuiniſſimi ſacramenti, inferre, & affirmare oportebat, iſtos non recipere in Sacramenti acceptione augmentum gratiæ, & charitatis, quod certè ſi reciperent, non eſſet opus, vt regulariter contingit, nos tolerantiam potius, ob ſimilium hominum imperfectiones, quam lætitiam, ob eorum virtutes, habere. Quibus bene aptari poteſt, quod Apoſtolus ad Corinth. ſcripſit, qui reuerentiam debitam erga hoc ſacrameutum non oſtendebant; Ideo inter vos multi infirmi, & imbeciles, & dormiunt multi.] Semper enim iſti ſunt debiles in virtute animæ ſuæ; ſemper infirmi, calore agitati paſſionum, & ſatis apti, ſatiſque diſpoſiti ad ſomnum ſpiritualis mortis, vt capite primo dicebamus: ideo ſubdit Apoſtolus; Et dormiunt multi: 1. Corint. c. 11.

ti:

Eccl.c.19. ti;] somno culpæ mortiferæ. Quia qui spernit modica paulatim decidet.] Qui à se imbecillitatem, & ægritudinem non curat abijcere, bene se disponendo ad antidotum sanctitatis, & ad cibum roboris, iam vita eius desperatur, necesse est, vt tandem Matt.c.25. post dormitationem dormiat anima pigra somno peccati lethalis, sicque intereat.

Auderet ne aliquis affirmare, huius diuini cibi virtute illum excrescere, quem ad animę suę staturã non cubitum, sed ne digitum quidem vnum videret adijcere? auderet ne affirmare, hoc antidoto conualescere, quem inualidum semper in virtute, ac magis debilem recognosceret? auderet ne affirmare, in fortitudine cibi istius ambulare illum, & ascendere vsque ad montem Dei, quem experiretur in ima quotidie tendere, & approprinquare vsque ad portas mortis? Appellatur sacramentum hoc à Concilio Tridentino; Vnitatis signum, vinculum charitatis, & concordiæ symbolum.] Diligenter considera multos ex illis, qui quotidie ad sacram mensam accedentes, recipiunt panem cœlestem, & reperies in eis contrarios effectus: necesse iam esset post tot communiones excreuisse ad esse grandium, quorum proprium est, ex Augustino (præsertim ita frequenter) hunc cibum manducare. Iam deberent esse omnimode Christiferi, non inquam solum per hoc, quod affirmat Cirillus, quia Christum in corpore suo ferunt, & quotidie in sua

mem-

membra corpus, & ſanguinem eius recipiunt: ſed per hoc etiam quod eſſent in corpus Chriſti totaliter conuerſi. Nam Chriſtus; per Auguſtinum loco citato; ait. Non tu mutabis me in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.] Et cum Deus charitas ſit, iam, & ipſi in charitatem conuerſi, iam mutati in carbonem illum Iſaiæ ignitum eſſe deberent, cui hoc ſacramentum Damaſcenus comparat, ſicque alios ſuæ virtutis luce, & charitatis calore accendere, & illuminare. Sed heu ad iram ſæpe alios prauis indomitarum paſſionum affectibus incendunt, & ſuarum vanitatum fumo illorum mentis oculos offendunt. Iſa.c 6.

Quomodo in iſtis verificatur, quod D: Thomas affirmat, nempe; hoc ſacramentum diminuere fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem; quia ſicut Auguſtinus dicit in lib. 83.quæſt. Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.] Si ergo in iſtis fomitem non agnoſcimus diminutum, ſi cupiditatem non imminutam, ergo nec augmentũ charitatis agnoſcere poſſumus, ergo tale augmentum per communionum frequentiam non obtinuerunt. Quid ſimile habemus in doctrina D. Bernardi ſerm. 1. de cœna Domini vbi aſſerit: Hoc ſacramentum ſenſum minuere in minimis, & in grauibus peccatis tollere omnino conſenſum: & ſubdit. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus in- 3.p.qu.79. art.6.ad 3.

uidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.] At si huiusmodi motus, huiusmodi passiones post plures annos quotidianæ communionis validiores in multis, acrioresque experimur, quo pacto fateri poterimus, virtutem sacramenti operari, aut operatam esse in eis? quo pacto, si non diminutum in ipsis, sed potius auctum cognoscimus passionum sensum? Quo pacto verificari poterit, quod inquit Cyrillus, scilicet. Sedat, cum in nobis manet Christus, sæuientium membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat; perturbationes extinguit.] Si contrarios effectus experimur in multis, qui in se Christum quotidie recipiunt? necesse est ergo fateri, quod si effectus, quos Cyrillus enumerat, in eis non operatur; effectum sacramenti dum illud recipiunt non percipiunt: sicque in eis Christus materialiter solum existit, quia per operationem non assistit, sed ita se habet, ac si dormiret, vt infra dicemus. Age nunc, affirma si placet, sufficere solam, ad fructus huius sacramenti percipiendos, carentiam peccati lethalis. Qui contrarium experiuntur, non credent.

Lib.4.in Ioan.c.17.

Simili experientia suasi Theologi illi, quos supra retulimus, negauerunt, hoc Sacramentum producere sanctificantem gratiam; quam ab intitio non produxit; quandocumque recedit fictio, vt alia producunt Sacramenta, sicque, vt illa dici debere vali-

dum,

dum, & informe. Nam, vt ipſi benè dicunt, difficile apparet, quod, qui non aptè diſpoſiti accedunt ad hoc ſacramentum, ſicque eius gratiæ, & charitatis formam, non recipiunt; aliquando non ſe dignè diſponant, vel aptè diſpoſiti non accedant, & tunc deberent recipere totam illam gratiam, & charitatem, quam produxiſſent omnes præteritæ communiones factæ ſine debita diſpoſitione, non minus, ac ſi cum ſufficienti, & bona diſpoſitione factæ fuiſſent; atque ita in inſtanti euaderent ſummè grati Deo, & valde feruentes in charitate, quod non videtur poſſe cum vmbra veritatis, imo ſine inconueniente aliquo affirmari: maximè cum huiuſmodi charitatis feruorem nunquam experiamur in illis, qui ex conſuetudine potius, quam ex amore, & reuerenti deuotione ad ſacram communionem accedunt.

Sed nos iam diximus, hoc ſacramentum non debere dici validum, & informe per hoc, quod poſſit ſemper producere ſuum effectum, recedente fictione, ſed ſolum dum integræ, & incorruptæ perſeuerant ſpecies panis, & vini; ſicque inconueniens vitamus, & bene ſuſtinemus validitatem ſacramenti cum informitate; & experientia vſi ſumus ad noſtram doctrinam probandam, vt iam patet.

Quarta ratio, quæ noſtram probat aſſertionem deſumitur ex ſenſu, & conſenſu omnium Scholaſticorum, Patrum, Pontificum, & Conciliorum.

Omnes enim maiorem dispositionem ad hoc sacramentum requirunt, quam ad alia, vt cum fructu recipiatur, sed ad alia sacramenta, quæ dicuntur viuorum, requiritur ad minus, in omnium sententia, culpæ grauis carentia, & status gratiæ habitualis: & alioqui augmentum gratiæ per huiusmodi sacramenta non reciperetur; ergo præter carentiam peccati, & statum gratiæ, quidquam aliud requirunt dicti authores pro dispositione ad fructum huius sacramenti; hoc autem aliud, siue hoc plus, quidnam esse potest, nisi reuerentia, amor, & deuotio saltem virtualis. Et ratio est, quia quo magis crescit sanctitas, & diuinitas huius Sacramenti, eo magis debet crescere dispositio, & sanctitas eius, qui debet ipsum recipere, vt significat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. similiter quo maior, amplior, & vberior est fructus huius Sacramenti, eò maior debet esse latitudo, & capacitas recipientis per aptam præparationem, & sanctam dilatationem
Psalm. 80. sui cordis, iuxta illud Psalmistæ. Dilata os tuum (idest cor) & implebo illud.] Nam vt inquit Catechismus ex Concilio. Hoc sacramentum habet rationem fontis in comparatione aliorum, quæ se habent vt eius riuuli, & addit D. Tho. q. 79. ar. 1. ad 1. Omnem gratiam non conferri, nisi ab hoc sacramento, vel in voto eius, cum confertur per alia sacramenta] sicque omnis gratia, quæ quocumque modo confertur homini dependet ab hoc sacramento,

mento,tamquam à fonte omnium riuulorum,eoque vberior, ac multiplicior gratia ab ipso promanat, quò aqua à fonte, quam à riuulis, abundantior profluit.

Nec iuuat, respondere, requiri ab authoribus maiorem præparationem ad hoc sacramentum, vt vberiorem conferat gratiam, quam sine hac maiori præparatione conferret. Non inquam iuuat, quia quo ad hoc, par est Sacramentum istud cum alijs; quæ omnia maiorem, vel minorem conferunt gratiam, quo maior, aut minor est dispositio supra necessariam: si ergo ad alia sacramenta non requirunt authores tantam dispositionem, quantam ad hoc sacramentum, signum est, quod hanc non ad vberiorem, & secundum quid, sed ad simpliciter, & absolutè gratiam producendam requirunt; non vt magis vtilem, sed vt simpliciter necessariam dispositionem exposcunt; quamuis etiam in ista maiori, & necessaria dispositione, seu præparatione ad hoc sacramentum possit esse latitudo maioris, & minoris, ad maiorem, & minorem gratiam producendam.

Potest tota nostra doctrina confirmari ex eo,quod si quis negligens, & desidiosus esset ad aptè se præparandum, vt requirunt authores pro digna receptione huius sacramenti peccaret saltem venialiter in tali negligentia, vt affirmat D. Th.q.79.ar.8. in

corpo-

Suar. disp. 66. sect. 2. §. Dicendũ in primis; Lugus de Euch. disput. 14. sec. 2. n. 31.

corpore. Imo Suarez, Lugus, & plures alij non solum in culpabili præparatione ad sacramentum recipiendum, sed etiam cum venialibus culpis illud recipere; ob reuerentiam tanto sacramento debitam: putant culpabile, & asserunt interuenire regulariter in tali receptione veniale peccatum; & consequenter dispositio, quacum talis homo reciperet, vel saltem, quam faceret præparationem, ad recipiendum hoc sacramentum, esset culpabilis, ergo non bona, sed mala, non meritoria, sed demeritoria.

Non enim admittimus sententiam aliquorum, qui putant, actum posse esse bonum simul, & malum moraliter; nisi ad summum secundum diuersas partes temporis, quo durat; & tunc reuera non dicetur idem actus bonus, & malus, nisi idem materialiter, & populariter, seu potius apparenter, sicuti dici solet eadem virga, quamuis partim sit viridis, partim arida, cum re vera tunc eadem formaliter non sit, quia sunt in ea duæ formæ specie, ac genere diuersæ, & oppositæ, & consequenter duo corpora naturalia: ita proportionaliter in casu nostro. Eundem vero actum indiuisibilem per diuersos fines, aut circumstantias; siue finem, & obiectum posse esse bonum, & malum formaliter, existimamus omninò à veritatè alienum cum communissima authorum sententia; non solum ob multa

ta inconuenientia, & implicitas contradictiones, quæ ex tali actu bono, & malo simul, sequerentur, sed etiam ob commune illud dictum, desumptum ex Dionysio de Diuinis nominibus cap. 4. Bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu,] atque ita D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 4. ad 3. dicit; quod si quis daret eleëmosynam ob vanam gloriam, talis actus simpliciter bonus non esset, sed solum materialiter, secundum speciem desumptam ex obiecto, quæ tamen bonitas vitiaretur per finem: & ad hoc probandum adducit supradictum Dionysij axioma. Quod fortasse sumpsit Dionysius ex Aristotile 1. Ethic. cap. 6. vbi sic ait. Malum multis modis contingit, bonum vno, vt multas in partes possumus deuiare à scopo, ipsum vero vnum attingere.] Et ratio à priori est ipsum rationis dictamen; ratio enim dictat, faciendum esse, quod est ex omni parte bonum, & nulla parte malum, ergo actus quamuis vna tantum parte malus non est conformis, sed difformis rectæ rationi, non est faciendus, sed omittendus; nec laudabile, sed vituperabile erit talem actum efficere.

Igitur; vt redeamus ad nostrum argumentum; si præparatio negligenter facta, vt regulariter contingit in ijs, qui potius ex vsu, vel aliquo fine non simpliciter recto, quam ex vera deuotione, & dilectione ad sacram Eucharistiam accedunt, est peccato obnoxia, ergo non potest esse bona, ergo non

me-

meritoria, ergo non supernaturalis, ergo non apta ad recipiendum effectum huius sacramenti. Quis enim auderet affirmare hoc sacramentum producere effectum gratiæ, non solum sine debitis dispositionibus in subiecto, sed etiam cum dispositionibus contrarijs? Hoc nullo modo dici posse, patet ex ijs etiam, quæ cap. pręcedenti notauimus. Quis auderet dicere, formam supernaturalem summè bonam, & principium omnis veri boni, omnis meriti, & proemij: vt est gratia habitualis, & charitas; produci in subiecto cum dispositione naturali, & mala, ac demeritoria, vt esset dispositio culpabilis? Multo minus Pelagiani volebant, & adhuc minus Semipelagiani, nimirum sufficere ad gratiam, & proemium supernaturale nostros actus naturales, non quidem malos, sed moraliter bonos; & nihilominus rectissimè ab Ecclesia hæresis damnati sunt, cum nulla possit esse proportio inter naturale, & supernaturale, multo minus inter bonum supernaturale, & malum morale; dispositio enim per omnes Philosophos debet esse proportionata, & ita eiusdem ordinis cum forma, & quamuis peccata venialia, quæ non spectant ad actus, qui disponunt animam pro forma gratiæ, hanc formam non impediant, tamen non ita dicendum de illis, qui ipsam animam ad dictam formam disponunt, ob rationem iam significatam.

Hæc nostra ratio videtur maximè militare pro

sen-

ſententia illorum authorum, qui requirebant, vt ſupra diximus, actualem deuotionem, & reuerentiam ad aptam diſpoſitionem, vt hoc ſacramentum produceret gratiam habitualem. Sed nihilominus adhuc perſiſtendo in noſtra ſententia, nimirum eſſe ſatis, ſi adſit apta diſpoſitio virtualis per virtualem perſeuerantiam deuotionis, & reuerentiæ ad hoc, vt ſacramentum producat ſuum effectum: dicimus: duobus modis contingere, aliquem habere diſpoſitionem aptam virtualiter, ideſt ſufficientem ad dictum effectum, & deficere illi actualem diſpoſitionem, qui defectus effectum, ſaltem principalem ſacramenti, non impediat.

Primò modo ſine vlla culpa recipientis; ſecundo modo cum aliqua veniali culpa, quæ tamen virtualem diſpoſitionem non vitiet. Nam poteſt aliquis aptè per amorem, deuotionem, & reuerentiam ad receptionem ſacramenti ſe diſponere, at vero in actu receptionis eiuſdem aliqua importuna cogitatione ita diſtrahi, & ab actione quam exercet, ita alienari, vt nullo modo poſſit tunc attendere, & actualem deuotionem, & reuerentiam habere, quod omnibus contingere poteſt ſine vlla culpa: nam vnuſquiſque ſæpe in ſe ipſo huiuſmodi diſtractiones, experitur, quas omnino inuoluntarie, & ſine præcedenti occaſione patitur: quot vicibus fortaſſe contigerit deuoto ſacerdoti totum pene ſacrificium, aut aliquam eius partem peregiſſe ſine vlla actuali

aduertentia, itaut tandem aduertat, se esse iam in actu consecrationis, & nullo modo recordetur præcedentia sacrificij egisse, ac recitasse. Quis enim diceret, ita recipientem sacramentum, idest cum illa inuoluntaria distractione, non recipere sacramentalis gratiæ effectum. Ob defectus naturales, si cætera adsunt, Deus non priuat hominem bonis supernaturalibus, nec de bonitate diuina ita sentiendum est, vt effectum principalem huius sacramenti alligare voluerit attentioni, quæ in potestate hominis non est. Deus enim in omnibus, sed præcipue in ijs, quæ substantialiter spectant ad salutem animæ, non exigit ab hominibus impossibilia; sed perfecta, qualis est sufficiens dispositio virtuals: & hac ratione diximus, hanc requiri, & non actualem ad effectum gratiæ, & charitatis.

Potest item talis distractio esse aliquo modo voluntaria, vel in se, vel in causa, & tunc certe erit venialiter culpabilis, non tamen impediet effectum gratiæ, si præcessit sufficiens dispositio actualis, & permanet virtualis, & hoc est, quod voluit Diuus Thomas q. 79. ar. 8. in corp. vbi dixit. Si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus, impeditur in eo effectus actualis refectionis spiritualis dulcedinis, non tamen impeditur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis.] Et ratio est, quia ista leuis negligentia aliquo modo culpabilis, iam supponit sufficientem dispositionem

tionem ex præcedenti præparatione per actus bonos, & sanctos, quæ cum virtualiter perseueret (quia per expressam voluntatem non est reuocata, nec per illam leuem negligentiam, quæ nullo modo, aut solum per accidens spectabit ad præparationem antecedentem, videtur posse reuocari) iam per eam est subiectum sufficienter dispositum ad formam gratiæ, & charitatis, vt inquit D. Thomas: illa vero actualis deuotio est alia dispositio ad effectum alterum eiusdem sacramenti, nimirum, vt asserit idem S. Doctor, ad actualem refectionem spiritualis dulcedinis, quem effectum non producit, quando deest dispositio ad illam, quæ est vt dicebamus, actualis deuotio.

Et ex hac D. Thomæ doctrina, potest adhuc nostra assertio, & tota præcedens doctrina confirmari. Nam sicut actualis deuotio est dispositio ad aliquem effectum, id est ad dictam refectionem. Ita per Sanctum Doctorem deuotio, & reuerentia virtualis est dispositio ad principalem effectum, vt supra probatum est, nempe gratiam, & charitatem. Si ergo deficiente actuali deuotione, & reuerentia, non producit sacramentum illam refectionem, quia deficit eius necessaria dispositio, ita pariter deficiente deuotione, & reuerentia virtuali non producet gratiam, & charitatem, quia deficit eius dispositio necessaria. Causa enim, vt iam supra explicatum est, non producit effectum, si in subiecto non adsunt

 dis-

dispositiones ad formam producendam proportionatæ, ac necessariæ. Et multo minus si adsunt dispositiones aliquo modo contrariæ, vt esset dispositio venialiter culpabilis, omnis namque culpa aliquo modo gratiæ, & charitati opponitur, sicque dispositio culpabilis, non solum non erit tali formæ conueniens, & proportionata, sed potius aliquo modo contraria. Igitur etiamsi Christus sacramentatus adsit in anima, suos effectus non producet, si receptus est sine dispositione necessaria, aut cum dispositione aliquo modò contraria, vt esset, si quis desidiose, vel fine aliquo non recto sacramentum recepit; atque ita venialia in ipsa præparatione, vel receptione sacramenti commisit, quæ talia sint, vt aliam non supponant sufficientem actualem, & tunc virtualem dispositionem; vel talia, vt eam destruerent, si adesset, vt ex dictis in sententia aduersariorum, est manifestum.

Similis huius nostræ doctrinæ confirmatio sequitur, ex eo quod ferè communiter docent authores, vt supra significauimus; scilicet hoc sacramentum non conferre multa auxilia gratiæ recipienti, quando deest actualis attentio, & deuotio, quia ab illa pendent tanquam à conditione, seu dispositione. Ita pariter arguendum esse videtur de gratia, & charitate, quando deest earum conditio à qua pendent, quæ vt probauimus non stat in sola carentia culpæ mortalis, sed, vltra illam, in alijs pluribus, quæ si de-

desunt, & forma gratiæ, & charitatis deest.

Tandem potest nostra assertio, & tota doctrina confirmari, hoc discursu. Quia nimis incongruum videtur, imò indecens apparet, Deum determinasse, augere sua dona in receptione Diuinissimi sui Corporis præsertim gratiam, & charitatem in eo, qui ita recipit, vt tunc habeat affectum, & complacentiam ad venialia, vt tunc voluntariam habeat distractionem, ita vt in ipso actu recipiendi sacram Eucharistiam ex aduertentia peccata venialia committat, ipsaque receptio sit veniale peccatum, quod non renuunt concedere Sanctius, eiusque discipuli; atque ita determinasse Deum augere suam amicitiam, vnionem, & amorem in aliquo eo tempore, & ex tali actione, quando, & qua deliberate ipsum Deum offendit, & aliquo modo contemnit, dum magis suo commodo, & vtilitati, quam Dei honori, & reuerentię attendit.

Certissimum est apud omnes, ex doctrina D.Pauli. Non esse facienda mala, vt veniant bona. Ita vt neque peccatum veniale, iuxta sententiam Augustini, committendum esset, etiam si ab illa peccati commissione totius Mundi salus penderet, quia veniale peccatum est offensa Dei, qui talis est, vt nec leuiter offendendus sit pro quocunque, etiam maximo omnium creaturarum bono, quia nulla est comparatio, aut proportio inter Creatorem, & Creaturas, inter Deum, & homines. Cum

Ad Rom. c.3.

ergo

ergo ita res se habeat, qua ratione committendum erit veniale peccatum ab homuncione ad suam solummodò vtilitatem, & commodum? in operatione maximè tam sancta, tam immediatè spectante ad ipsum Deum; qua ratione omnes authores requirunt, vt sæpè dictum est, exercendam esse magna cnm sanctitate, reuerentia, ac deuotione. Et putandum erit, Deum determinare voluisse, dare illi augmentum gratiæ, qui tali irreuerenti, & indecenti modo, ac sine specie sanctitatis sanctissimã actionem exercet, qui in ea sibi attendit, & non Deo, nec Dei reuerentiam multum curat, sed propriam vtilitatem procurat.

1.Corint. c.11. Ex Apostolo habemus, quod qui manducat indignè reus est corporis Domini; quia qui sic mãducat, ita se habet, ac si Corpus Domini occideret, vt idem Apostolus scribens ad Hebræos, dicebat de
Cap.6. ijs, qui peccabant. Rursus crucifigentes filium Dei,] Qui enim grauiter peccat, quantum ex se est iterum in seipso filium Dei occidit, atque ita reus est Corporis Domini: qui ergo leuiter peccat, erit aliquo modo reus corporis Domini: sicut is, qui grauiter percutit hominem, est absoluere reus corporis illius; qui leuiter, reus est etiam, sed leuiter & secundum quid, corporis eiusdem, quia eundem in suo corpore offendit, etsi percussio grauis tendit ad mortem, leuis disponit ad illam, & hac ratione vtraque opponitur præcepto non occidendi, & vtra-

que

que est in linea culpæ occisionis: qui ergo cum venialibus accipit corpus Christi, qui venialia in ipsa receptione committit, & ipsamet eius receptio aduertenter distracta, & irreuerens est veniale peccatum, reus erit per talem acceptionem aliquo modo Christi corporis, quia non potest non inducere aliquem saltem leuem reatum in corpus Christi: qua ergo ratione existimari potest, determinasse Deum in simili acceptione dare illi præmium, quando per eam reus aliquo modo est, & potius aliqua poena dignus; si receptio est cum graui culpa, qua est homo simpliciter reus corporis Domini, meretur grauem poenam, ergo si est cum leui culpa, qua est secundum quid reus corporis Domini, meretur leuē poenam, ergo non præmium, idest non dona, præsertim gratiam habitualem, & charitatem, quia nullus meretur præmium, siue disponitur ad illud per actionem malam, & demeritòriam. Omninò ergo existimandum est, Deum determinasse, non dare sua dona in receptione Eucharistiæ illi, qui cum venialibus, & modo irreuerenti iam explicato recipit suum corpus; vt determinauit dare illi, qui præter carentiam culpæ mortalis, affert reuerentiā, deuotionem, & sanctitatem, sicque modo debito, & debita cum dispositione recipit corpus Christi.

Et de illis, qui sine debita dispositione, & consequenter sine fructu recipiunt Diuinissimum sacramentum verificari potest, quod Ambrosius docet

lib. 9.

lib. 9. in cap. 20. Lucæ his verbis: Non quia de loco ad locum proficiscitur Dominus, qui vbique semper præsens est, sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest.] Istis enim quamuis sit realiter, & corporaliter præsens per sacramentum, abest tamen per effectum sacramenti ob ipsorum negligentiam. Similiter illud aliud eiusdem sancti lib. 4. in Luc. cap. 5. Christus dormit tepidis, perfectis vigilat,] quia etiam si realiter sit præsens tepidis, idest desidiosis, & negligentibus; eo tamen modo se habet cum illis, ac si dormiret, nihil in eis operando, vt operatur dum est in perfectis, idest sanctè dispositis, quibus per communicationem suæ gratiæ, & donorum, vigilat.

CAPVT XI.

In quo fit satis aliquibus difficultatibus, quas adhuc contrarij obijciunt in nostram iam traditam doctrinam,

EX actenus dictis responderi potest omnibus difficultatibus, quas afferunt, aut afferre possunt contra nos Sanctij discipuli, quarum præcipuis iam expresse, & perspicuè satisfactum est, in præcedentibus capitibus, modo superest duabus alijs occur-

occurrere quibus ſuam firmare conantur,& noſtram infirmare doctrinam : verum iſtæ etiam difficultates eiuſdem ſunt farinæ , ac aliæ iam ſolutæ ; imò ſi eas bene, & attentè Contrarij conſideraſſent, contra nos certè nunquam obieciſſent ; dum ex earum explicatione,& ſolutione noſtra potius doctrina magis roborabitur , & contrariorum debilitabitur : vnde etiam apparebit ipſorum inſufficientia rationum, ac doctrinæ imbecillitas.

Earum prima eſt hæc . Permulti Sacerdotes, qui animarum ſunt directores quotidie celebrant, & Chriſti corpus recipiunt , ſed hoc laicis negant, non enim permittunt,iſtos quotidie ad ſacram Menſam accedere . Si enim ipſi illam præparationem,& ſanctitatem , quam in alijs requirunt , ad Chriſti corpus quotidie ſumendum non habent in ſe,cur etiam non ſinunt,alios accedere quotidie ad hoc ſacramentum , vt ipſi faciunt ? Si autem dicant hoc facere , quia maiorem habent diſpoſitionem , & ſanctitatem, quàm alij, iam ſe vanos, & ſuperbos declarant, ſicque alijs peiores : ſi hoc non dicunt, (vt certè non dicent) cur requirunt in aliis illam præparationem & ſanctitatem , quam ipſi non habent , nec curant fortaſsè habere ? Et hac ratione (vt dicti authores aiunt) videtur de iſtis Sacerdotibus verificari, quod Chriſtus dixit de Phariſæis, ſcilicet, Quod alligant onera grauia , & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.] Et illud Matt.c.23

aliud Psalmi 61. Mendaces filii hominum in stateris.]

Quam facilis erit responsio ad hanc difficultatem dicent omnes, qui sciunt, quam intercedere asserunt Theologi differentiam inter sacramentum, seu simplicem communionem, & celebrationem, seu sacrificium Missæ. Ad hoc enim conficiendum obligantur, dicit D. Thomas q. 82. art. 10. ad 1. Sacerdotes Deo, ex ordine iam suscepto; sicque in corpore articuli affirmat, quod Sacerdotibus, etiam si non incumbat ex cura animarum celebrare, non licet omninò à celebratione cessare, sed videntur saltem teneri ad celebrationem in præcipuis festis, cum aliunde sæculares, non obligentur communioni, nisi in solo festo Paschatis.

Sacerdotes enim, vt Christi Ministri, tenentur vti gratia, dicit Sanctus Doctor, quam à Deo acceperunt, ne contra monitum Apostoli, Videantur in vacuum gratiam Dei recepisse,] quam non acceperunt solum in ordine ad ministranda fidelibus sacramenta, sed præci puè in ordine ad Deum, cui, consecratione cælestis panis, & vini, sacrificiũ offertur, & oblatio munda, ac hostia in odorem suauitatis; vt ad Ephes. 3. Insuper, vt inquit Ecclesia in quadam oratione Missalis; quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.] Quia in hoc sacrificio incruento, vt loquitur Tridentinum sess. 22. cap. 2. Idem ille Christus

Ad Cor. c. 6.

ſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit. Et vt proſequitur Concilium. Eſt verè propitiatorium pro noſtris etiam ingentibus peccatis, quia fructus oblationis cruentæ, per hanc incruentam, vberrimè percipiuntur. Et tandem in fine capitis concludit, Quare non ſolum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto, non dum ad plenum purgatis ritè iuxta Apoſtolorum traditionem offertur.]

Ex quibus patet Sacerdotes duplici ratione teneri ad offerendum ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium: altera ad præſtandum honorem Deo, vt ſupremo Domino, cui ſacrificium debetur, eique ad id tenentur ex munere, & gratia ſacerdotali, qua publici Chriſti Miniſtri conſtituti ſunt ex D. Thoma q.87. ar.6. in corp. & ex Tridentino ſeſs. 22. cap. 6. Altera quia, vt inquit Concilium; tanquam publici Eccleſiæ Miniſtri debent offerre ſacrificium, non pro ſe tantum, ſed & pro omnibus fidelibus, qui ad Chriſti corpus pertinent, vt omnibus proſit, ſicut ſupra dixerat: Et addit D. Thomas. Quod eſt pro ſalute omnium inſtitum. In opuſc. 57.

Totum hoc aperte ſignificauit D. Paulus ad Hebræos 5. ſub nomine pontificis, his verbis. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offe-

rat dona, & sacrificia pro peccatis.] Neque id, quod præstat hoc sacrificium viuis, atque defunctis, & Ecclesiæ vniuersæ, prouenit ex operatione, & merito sacerdotis offerentis; quamuis hoc modo (ex opere scilicet, vt aiunt, operantis) possit sacrificium boni sacerdotis magis prodesse, quam mali, vt affirmat D. Thomas loco supra citato, estque res inter Theologos indubitata; nihilominus verè & propriè, idest substantialiter prodest omnibus ex opere operato, ex merito, & institutione Christi, qui sicut voluit, quod sacrificium cruentum semel à se in ara Crucis pro omnibus oblatum, omnibus prosit; ita voluit, quod hoc sacrificium incruentum; quod cruentum non solum repræsentat, dicit Diuus Tho. q. 83. ar. 1. Sed etiam eiusdem sacrificij cruenti continet effectũ; ijs pro quibus offertur prosit ita, vt sacrificium cruentum se habeat vt causa vniuersalis nostri profectus; incruentum vero, vt causa particularis eiusdem profectus: non quod hoc sacrificium non sit causa vniuersalis, quia non possit etiam pro omnibus exhiberi, & offerri, sed quia hoc socrificium est veluti applicatio meriti, & satisfactionis illius; nam per vsum sacrificij incruenti non interuenit nouum meritum, nec noua satisfactio Christi, sed applicantur illa sacrificij cruenti.

Ex his sequitur, sacrificium hoc etiam si indignus offerat sacerdos, adhuc esse in cultum, & honorem Dei, & in vtilitatem aliorum. Imo addit

Diuus

D. Thomas q.82.ar. 6. Ex eo quod ſacerdos offert, vt Chriſti, & Eccleſiæ publicus miniſter (quod miniſterium, etiam in indigno remanet) non ſolum valere pro alijs ſacrificium ipſum, ſed valorem pariter habere eius orationes, & non tantum in miſſa, ſed in alijs etiam functionibus, ſicque omnes eius orationes, quas recitat in alijs Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ, licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ.] Hoc idem pariter indicat S. Doctor q.71.ar.3. & q.83.ar.3. de orationibus, & cæremonijs ab Eccleſia inſtitutis, vt in publicis actionibus à miniſtro exerceantur, quæ, vt fere communiter dicunt authores, valent ad plures effectus tum corporales, tum ſpirituales, vt ad danda quædam auxilia, ad excitandos pios motus in anima; ad remittenda venialia, ad delendum pœnæ reatum, ad impediendos dæmones ne noceant, ad liberandum à morbis, ad tempeſtates arcendas, ad animalia noxia extinguenda, & ad alios ſimiles: & permulti ſunt Doctores, qui cum D. Thoma putant, hos producere effectus ex opere operato; Ex eo quod Chriſtus inſtituendo ſacramenta, vt hanc vim tali modo haberent, reliquit Eccleſiæ poteſtatem; eandem vim tribuendi ſacramentalibus, alijſque cæremonijs ab ipſa inſtituendis, ad honorem Dei, reuerentiam ſacramentorum, & vtilitatem fidelium, videautr Auerſa de ſacramentis in genere quæſt. 60.ſec.6.

Et

Et quamuis iste auctor in hanc sententiam absolute, & simpliciter non inclinet, tamen secundum quid, idest aliquo modo eam amplectitur. Dicit enim quod hæc omnia vim habent ad dictos effectus in virtute Ecclesiæ, quæ in huiusmodi ritibus, & orationibus sua merita, & preces interponit, quæ Deo gratæ sunt, vt dicitur in quadam oratione missalis, estque digna, vt à Deo exaudiatur. Ad quod illud Ambrosij in Euang. Lucæ cap. 7. non incongrue facit. Si graue peccatum est, quod pœnitentiæ lacrimis ipse lauare non possis, fleat pro te Mater Ecclesia.] Igitur cuiuscumque sacerdotis, etiam indigni, & mali, non solum sacrificium, quod pro alijs offertur, multum valet, sed etiam eius orationes, & cæremoniæ, suntque pariter in honorem Dei, & in protestationem eius supremi dominij, cultusque eidem debiti, & tenetur quilibet sacerdos talem cultum Deo exhibere, alijsque suis functionibus, sed maximè Missæ Sacrificio, opitulari.

Oratio secreta feriæ quintæ post 4. Domin. Quadrag.

Nihil horum in simplici communione reperies: vsus namque sacramentorum, in omnium sententia, non prodest, nisi recipienti sacramentum, si aptè illud recipit, sicque Baptismi, Pœnitentiæ, & aliorum sacramentorum receptiò non nisi recipienti prodest, & si illi minimè, nulli certè prodest; ad quid ergo exercitium sacramentorum, si ex illo nulli vtilitas, sed potius damnum, aut prouenit, aut prouenire potest? Et hoc ita verum est, vt non defue-

defuerint authores, & nouiſſime Pater Raynaudus, qui dixerint, ſacram communionem receptam ab vno, non poſſe pro altero Deo offerri, ſiue viuente, aut vita functo. Et certe hi verum dicunt ſi loquamur de opere operato, quia ita non producunt ſacramenta ſuos effectus, niſi in animabus ipſa recipientibus; vt affirmat D. Th. q.79.ar.7. Non vero ſi loquamur de opere operantis, ideſt de impetratione, & merito recipientis, & pro altero offerentis, quia hoc modo, certum eſt, poſſe omnia opera meritoria, quæ in tali ſacramenti exercitio interueniunt, eſſe alijs pro quibus offeruntur, impetratoria, & ſatisfactoria.

Et non ſine magna probabilitate dici poſſet; quod opera, & actus, qui tali tempore fiunt, aliquam maiorem vim habeant in virtute ſacramenti, quam haberent alio tempore; ſed ad hanc ita habendam, omnino requiritur, quod ille, qui eas operationes exercet, cum ſacramentum recipit, ita recipiat, vt ſibi fructuoſum ſit, quia, vt dicebat D. Thomas; etiam orationes, & exercitia ſacerdotis, quando illa, vt priuata perſona efficit, fructuoſa alijs non ſunt, ſi ipſe eſt in tali ſtatu, vt ſibi prodeſſe non poſſint.

Et ex his apparet manifeſtè diſparitas, quæ eſt inter ſacerdotes, & laicos, inter celebrationem quotidianã Sacrificij, & communionem laicalem: ad quid exercere, quod laicis vtile non eſt, & alijs non prodeſt? ad quid hoc permittere? quæ prudentia dicta-

dictare hoc potest? bene tamen permittere, imo consulere, vt sacerdotes quotidie celebrent, etiam si fructum sacrificij, siue communionis ipsi ex defectu dispositionis non aptæ, non dignæ (non tamen indignæ) non percipiant, quia etiam cum non apta dispositione, adhuc aliqua cum sufficientia suum munus adimplent, & multis prosunt.

Animaduertant ex his scriptores quotidianæ communionis, si sacerdotes, qui sine tanta, quantam in laicis requirunt dispositionem, quotidie celebrant, & quotidianam negant laicis communionem; sint mendaces in stateris; iniuste, aut iuste imponant in humeros eorum onera, non inquam grauia, & importabilia, vt ipsi dicunt, sed potius leuia, & suauia, quia onus Christi leue est, & iugum eius suaue: non amplius repræhensibiles existiment, qui laude sunt digni; nam qui iuxta prudentiæ regulas pro honore Dei, & proximorum vtilitate operantur, bene operantur, sicque non repræhensione, sed laude sunt digni. Nec amplius affirment, priuare illos augmento gratiæ, ac donorum, qui cum carentia grauis culpæ accedere volunt ad sacram Mensam, si prohibent accedere: quia hos prudenter à sacra Mensa arcent, dum illam in eis non reperiunt, quæ ad Dei reuerentiam, & eorum vtilitatem necessaria est, dispositionem, sed potius probabiliter existimant, aut prudenter timent, ex consuetudine quadam, vel sine vano, aut quæ-

stuoso

ftuoſo ad ſacram communionem accedere, hos enim arcendo à ſacra Menſa, humilitate premere, non eſt male, ſed valdè bene operari; non ſinere in nuptiale conuiuium iſtos, ita frequenter intrare, ne ad id deueniant, vt Patris familias mereantur eiectionis ſententiam à conuiuio in tenebras exteriores recipere; eſt prudentem certè pietatem exercere: & ſi tantum malum in iſtorũ frequenti communione non timent, probabiliter tamen exiſtimare poſsunt (ſi quæ iam dicta ſunt, & quæ dicentur, bene conſiderantur) tempus iſtos inaniter conſumere, & non ſibi prodeſſe, nec alijs, ſed ad id ſolum huiuſmodi communiones deſeruire, vt ſine forma bonitatis, more Phariſaico, appareant boni.

Secundam Doctores contrarij difficultatem deducunt ex verbis Concilij Tridentini ſeſs. 13. cap. 2. De ratione inſtitutionis huius Sacramenti, vbi ſic habet. Qui manducat me, & ipſe viuet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur.] Ex quibus inferunt Directores impedientes eos, qui volunt ad Euchariſtiam ſine culpa mortali accedere, priuare antidoto, quo liberantur, & præſeruantur à culpis, quia, vt ex ipſis, aliqui dicunt (quos iuſtis de cauſis innominatos relinquo) Concilium in ſupradicto loco nõ de Antoniis loquitur, non de Benedictis, aut Catharinis, ſiue Claris, ac ſimilibus, ſed de iis, qui quotidie peccant.

Sed existimo in hac difficultate istos authores omnimodè peccare, quia vel non satis cogitant, quod dicunt, vel graui sunt in errore, aut non sufficienter se explicant. Concilium optimè dicit; huiusmodi antidoto omnes præseruari à culpis mortalibus, in quas omnes, qui non sunt à Deo confirmati in gratia, vt Apostoli, possunt cadere, etiam Basilii, Catharinæ, & similes, & indigent omnes quotidie gratia Dei, ne in huiusmodi peccata ruant, quam maximè conferunt Sacramenta, & præcipuè hoc Eucharistiæ Sacramentum, in cuius voto alia conferunt gratiam, vt supra notauimus ex D.Tho. Et ratio sumitur ex eodem S.Doctore q.79. ar.1. in corp.vbi dicit: Effectum, quem passio Christi fecit in Mundo, hoc Sacramentum facit in homine; & sicut ipse veniens visibiliter in Mundum contulit Mundo per suam passionem vitam gratiæ, secundum illud Ioannis 1. Gratia,& veritas per Iesum Christum facta est: ita in hominem sacramentaliter veniens vita gratiæ operatur, secundum illud Ioan.6. Qui manducat me, viuet propter me,] Et ar.3.addit: Hoc sacramentum secundum se habet virtutem ad remittendum quodcumque peccatum ex passione Christi, quæ est fons, & causa remissionis peccatorum] igitur ex S. Doctore sicut se habet passio Christi respectu huius magni Mundi, ita Eucharistiæ Sacramentum (quod est memoriale, estque vt ita dicam epilogus, siue epitome eiusdem

passio-

paſſionis ; ideo quotieſcunque illud ſumimus, præcipimur, id facere in memoriam paſſionis eius) ſe habet reſpectu Mundi parui : vnde ſicut illa fuit cauſa vniuerſalis omnium bonorum, & gratiarum in Mundo magno, ex qua recipiunt omnes cauſæ virtutem ad conferendã alijs gratiã : ita hoc ſacramentum eſt cauſa vniuerſalis in Mundo paruo, ideſt in homine, & fons omnium gratiarũ, ſicque ex virtute eius recipiunt aliquo modo cætera ſacramenta vim conferendi hominibus gratiã. Et ideo dicebat S.Doctor. Nõ conferant alia ſacramenta homini gratiã, niſi in voto huius ſacramẽti. Gratiæ igitur virtus qua omnes indigent, vt à peccatis mortalibus præſeruentur, præcipuè continetur in Euchariſtiæ antidoto, à quo tanquã ex fontali principio emanat ad ſalutem hominum Hoc modo iam dicto ſentire debent de præſeruatione à peccatis mortalibus omnes Catholici, hoc ſentit Conciliũ, vt indicat illud verbũ (præſeruationis) per gratiam huius Sacramenti.

Adhuc deſeruire fatetur Concilium antidotum Euchariſtiæ, vt liberemur à peccatis quotidianis. Exiſtimo Doctores contrarios non eſſe ita alienos ab huiuſmodi verborum Concilij intelligentia, vt putent, Concilium loqui de culpis grauibus, dum dicit (quo liberamur à culpis quotidianis) nam Concilium diſtinguit, & contraponit huiuſmodi culpas quotidianas alijs grauibus, ideſt mortalibus, à quibus præſeruamur, & de eis tanquam de alio

membro immediatè loquitur. Deinde certum est apud authores catholicos; permultos ex ijs, qui cum Dei timore viuunt, magnam suæ vitæ partem, vel etiam totam, & vsque ad extremum sine peccato mortali perducere, quod pariter docet D. Tho. 1.2.q.109.ar.8.in corp.& alibi. Sicque ista peccata non possunt appellari quotidiana, à quibus quotidie homo liberatur per receptionem huius Sacramenti: & sane nescio si sanæ mentis quisquam reperiretur, qui consilium daret quotidie grauiter peccanti, quotidie ad sacram communionem accedendi, vt ita per hoc Sacramentum peccata mortalia, quæ quotidie committit, quotidie deleantur, & putet hoc voluisse Concilium in adductis verbis.

Sed opus fortasse erit, fateri me errasse in hoc, quod postremò dixi, cum multi sint hodie ex discipulis Sanctij, vt supra significauimus; qui huiusmodi dant consilium, melius nempè esse quotidie ad sacram Mensam accedere, etiam illos, qui quotidie grauiter peccant, peccatis confessione expiatis, vt hoc modo peccatorum reliquias, & culpas oblitas Eucharistiæ sacramentum in eis deleat: & hoc putant sanum, pium, ac sanctum consilium esse. Sed hos dimittamus, & prudentum iudicio relinquamus, qui fortasse consilium dabunt, non vt eorum doctrinam sequamur, sed potius, vt hanc, & eos, vt dicebat Apostolus ad Timoth. 3. deuitemus, quia istorum doctrina speciem quidem pie-

tatis

tatis habet, virtutem autem pietatis, non habet.]

Concilium igitur in citato loco de illis peccatis loquitur, de quibus loquutum est sess. 6. cap. 11. vbi sic habet; Licet in hac mortali vita, quamuis sancti, & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax; dimitte nobis debita nostra.] Hoc idem expressit Concilium Mileuitanum Can 6. ponderans illud Ioan. 1. c. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.] Et Can. 7. & 8. docet; A iustis non pro alijs tantum, sed etiam pro se, non solum humiliter, sed etiam veraciter vocem illam proferri, dimitte nobis debita nostra] Ad hanc veritatem catholicam probandam de peccatis venialibus, quibus omnes, etiam iusti, & sancti irretiti quotidie reperiuntur, superfluum omnino erit rationes adducere, cum omnes Patres, & Concilia ex locis sacræ Scripturæ satis apertis vno ore id affirment, & authorum omnium fundamentum præcipuum est, dictum illud Prouerb. cap. 24. Septies in die cadit iustus] & ly (Septies) exponitur ab aliquibus, multoties; hoc idem confirmat D. Iacobus cap. 3. In multis offendimus omnes.]

Et sane quis hominum ita sanctus, ita feruidus, vt Paulus, qui vas meruit esse electionis, & tamen

iste

Ad Rom. c. 7. iste non fatetur de se ipso, quod mente quidem seruiebat Deo, carne autem legi peccati: nam patiebatur in membris suis legem, quæ mentis suæ legi repugnabat, ipsumque captiuabat in lege peccati. Et non dicit idem Apostolus de Principe Apostolorum, quod repræhensibilis erat ob simulationem, Ad Galat. c. 2. quam inter Iudæos, & Gentiles exercebat? Si ergo Apostoli, qui confirmati erant in gratia, venialiter peccabant; & Concilium Mileuitanum supra citatum, hanc imperfectionem peccandi venialiter extendit ad eosdem, etiam pro illo tempore, quo epistolas ad fideles scripserunt, & fidem prædicauerunt. Idemque confirmat Papa Gelasius in quodam opusculo contra Pelagij hæreses, quod habetur tom. 1. Conciliorum: hoc etiam extendit ad eos qui in matris vtero sanctificati, indeque sancti egressi, & in hunc mundum ingressi sunt, vt Ieremitas, & Ioannes: & vniuersaliter ad omnes iustos, vt patet ex locis scripturæ, & Conciliorum. Quis audebit de quocumque iusto, preter Beatam Virginem, contrarium affirmare?

Hinc docet Augustinus Epist. 89. & 91. ac lib. de spiritu, & littera; Nequaquam tolerandos esse quosdam homines dicentes, vel esse, vel fuisse, vel futurum esse aliquem, præter Christum, expertem omnis peccati, cui solum adiungit Beatissimam Virginem in lib. de nat. & gratia cap. 36. vbi dicit. In qua (idest Beata Virgine) propter honorem Domini

mini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habendam eſſe mentionem.] Eſtque doctrina iſta ita certa, & indubitata, tam de peccatoribus, quam de iuſtis apud Theologos cum D. Th. 1.2.q.109.ar.8; vt aſſerant ſententiam contrariam, ſine debitis reſtrictionibus, ſed abſolute prolatam eſſe hæreſim Pelagianij, cuius hæretici inter alios errores, vt colligitur ex Concilio Paleſtino propoſ.9. vnus fuit, affirmare, Iuſtos in hac vita ſine vlla culpa viuere;] & addebat, quod ſi peccaſſent, omnia eorum peccata eſſent mortalia. Inde aiebat, Eccleſiam Dei eſſe ſine ruga, & ſine macula: cuius verba refert Auguſtinus lib. de hæreſibus ad Quoduutdeum, hæreſi 88. & ſunt iſta. Vita iuſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habet peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula, & ruga.]

Et quamuis Auguſtinus ſupra cit. vbi aſſerit, non eſſe tolerandos dicentes, aliquem eſſe, præter Chriſtum, & Mariam, expertem omnis peccati; ſubdat, eos tamen non multum, nec perniciosè errare, ſi non excludant Dei adiutorium.] hoc tamen ſi non intelligitur de quodam ſpeciali adiutorio; nec etiam eſt admittendum, poſt determinationem Concilij Tridentini ſeſſ.9.Can.23. vbi Concilium ſic ait, Si quis dixerit, hominem iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia euitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum

de

de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.] Igitur modo sentiendum omnino est, non sufficere iustis quodcumque Dei adiutorium ad vitanda omnia venialia, sed requiri adiutorium tale, quod dicatur priuilegium, idest talem Dei gratiam, quæ ab eo detur præter legem communem, & determinationem à se factam non dandi in hac mortali vita hominibus, etiam iustis gratiam, qua vitent omnia peccata venialia; reseruando Deus, vt inquit Augustinus, perfectam sanctitatem in alia vita, vt distinctio, sit, etiam in puritate inter istam, & aliam vitam, vt est in labore, & requie; in dolore, & voluptate; in tristitia, et gaudio. Hoc idem affirmat Gelasius Papa loco supra citato. Vnde autem proueniat, & quæ sit ratio à priori, cur homo non possit sine dicto priuilegio vitare omnia peccata venialia; videatur in D. Thoma 1.2.q.109.ar.8. in corpore.

Lib.2.de pecc.meri. & remiss. c.6.& de natura, & gratia c.42

Hanc gratiam vitandi omnia venialia non alteri Concilium asserit fuisse concessam, nisi Beatæ Virgini: et quamuis Concilium negatiue se habeat, quo ad reliquos; tamen affirmare de alijs sanctis idem priuilegium, quod de Beata Virgine tenet Ecclesia, non potest esse sine nota temeritatis, maximè cum authoritates scripturæ sint vniuersales, cum Concilia loquantur de omnibus, & Theologi, ac Patres eodem modo de omnibus sentiant.

Exeant nunc, nescio, qui doctores, et dicant,

pec-

peccata quotidiana, quæ debent deleri antidoto Eucharistiæ, non esse Antonij Basilij Catharinæ, & Claræ, ac similium, sed illorum, qui quotidie venialiter peccant; igitur Antonius, et alij similes venialiter non peccabant, hoc enim sequitur ex propositione istorum doctorum: attendant, quod dicunt: nam si affirmant absolutè præscindendo ab adiutorio Dei, eos non esse tolerandos dicit Augustinus, incidere in sententiam Pelagij sentiunt Theologi: si vero dicant, hoc esse ex Dei adiutorio; tale adiutorium, vt didicerunt ex Concilio Tridentino, non debet esse quodcumque, sed eiusmodi, vt rationem habeat priuilegij: at hoc affirmare de quibus voluntas non ratio persuadet; de quibus inclinatio, non authoritas mouet, à nota saltem temeritatis eos liberare non poterit.

Oportet igitur fateri huiusmodi authores non bene, nec satis considerasse, quod hac secunda proposita, & iam soluta difficultate contra nos obijciebant, & peregrinum quendam deuotionis affectum ita eorum mentem distraxisse, vt, quod deberent dicere minus attenderent; sicque nihil dixerunt, & si fortasse aliquid dixerunt, male dixerunt: aut certè non satis se explicarunt: nam si per hanc obiectionem significare voluerunt, quod Eucharistiæ antidotum à pluribus venialibus liberat peccatores, quam iustos, vt Basilios, Catharinas, & similes, bene dixerunt; sed deinde male, asserendo, Con-

cilium non loqui de istis; quia etiam isti hoc antidoto à venialibus liberantur, imo sæpius isti, quia semper cum apta dispositione hoc antidotum sumunt, sicque semper eius effectus percipiunt, inter quos vnus est à venialibus eo modo, quo supra explicuimus, animam depurare. Non ita illi, qui quandoque non aptè dispositi recipiunt, sicque effectus antidoti non sentiunt, liberationem à venialibus non acquirunt.

Et hic aduertere licet sæpè inconsequentias aliquas istorum authorum doctrinam in se inuoluere. Nam si illos arguunt, qui non sinunt omnes quotidie hoc Eucharistiæ antidotum sumere, vt à venialibus liberentur: quare & ipsi docent, consultius esse illud sumere non solum cum venialibus, sed etiam dum venialia committuntur, estque ipsamet Eucharistię sumptio cum veniali peccato ob negligentiam, ob affectum ad venialem culpam, vel ob similem causam? debetne hoc antidotum ægros liberare non solum ab illis infirmitatibus ad quarum purgationem se disposuerunt, sed ab illis etiam, quæ tunc contra ipsius antidoti virtutem congerunt? Perpendant hæc viri prudentes, & comprehendent quantum distet istorum authorum doctrina ab vniformitate, à vera pietate, à via recta veritatis.

CAPVT XII.

De dispositione ad dignè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipiendum.

EX dictis in præcedentibus capitibus facilè deduci poteſt, quod in titulo huius capitis proponitur; ſed vt hæc materia maxime vtilis, & neceſſaria clarior, faciliorque adhuc fiat, explicatione aliqua diligentiori de ea hic pertractabimus.

Et initium præſens materia ſumat ex iam dictis, ex quibus conſtat, triplicem ad hoc Sacramentum recipiendum reperiri poſſe diſpoſitionem. Indignam vnam, de qua hìc non loquimur: alteram non dignam, de qua loquuti ſumus, nec de ea eſt hìc aliquid addendum: tertiã dignam, de qua pariter loquuti ſumus, prout eſt neceſſaria, ad hoc vt Euchariſtia producat in recipiente ſuos effectus: ſed quia hæc diſpoſitio; vtpote qualitatiua, magnam habet latitudinem, de ea reſtat aliquid dicendum, vt ſemper magis fideles ad Euchariſtiam dignè diſpoſiti accedant, & ita magis ſemper magiſque de fructibus eius percipiant, quod eò faciliùs obtinebunt ſi paruitatem ſuã cum Euangelico Cen-

turlone agnoscentes, indignos vere se iudicabunt, vt omnium rerum Dominus, ipseque Deus in domum, imò in cor eorum intret. Et cum Præcursore humilitatem exercentes, non ad recipiendum in se omnium rerum conditorem aptos, sed etiam ad eius corrigiam calceamenti soluendam ineptos vere, vt sunt, se existimabunt. Ad quæ etiam magis prompte, & alacriter exercenda, & præparationem magis dignam, & magis semper proportionatam tanto Sacramento, & fructibus eius exhibendam, præstabit ea considerare, quæ mentem efficaciter excitandi, & voluntatem quodammodò impellendi vim habent.

Et primò hæc consequentur fideles si illud Dionysij par. 2. de Eccl. Hierarch. cap. 5. mente reuoluent. Ecclesiam nempe esse Ierusalem mediam inter Iudaicam, & coelestem ratione huius Eucharistię sacramenti. Quia in Ierusalem illa, quæ occidebat
Matt. c. 23 Prophetas, Christus in solis figuris continebatur, vt inquit Apostolus. 1. Corinth. cap. 10. & fatetur Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. & alibi: in coelesti Ierusalem corporaliter, ac visibiliter adest: in nostra vero solum deest visibilitas, quia ratione status, idem ipse Deus, & homo, qui completa beatitudo, & cibus est Angelorum in Coelo; hìc velamine specierum coopertus cibus est, & inchoata beatitudo animarum sanctarum, vt ita magis fidei mysterio beatæ, nō videndo, iure meriti efficiantur.

Si

Si perpendent Ecclesiam Dei parum à cœlesti curia ratione huius sacramenti distare, certè iudicabunt, animam fidelem, hoc idem in se recipiendo, Cœlum fieri, aut à cœlesti curia non multum distare, vt in simili arguit Magnus Gregorius de anima iusti, quam Cœlum, & Dei sedem appellat. homil. 38. in Euang.

Et quamuis in hac lacrymarum valle, & tentationum campo omnimoda illa cœlestis puritas, & pulchritudo perfectionis, ac veluti in Angelorum formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullo modo in hac præsenti, inquit Augustinus, haberi possit; tamen niti maximè debet anima fidelis, quæ ad hoc sacramentum accedit, vt saltem ita disposita appareat; vt veniens Dominus; si nunc eam non cœlestem, ecclesiasticam ad minus Ierusalem constituat, & templum sanctum requiei suæ, eam inhabitando, perficiat. Mundet se ergo non solum à rebus mortuis, & fœditatibus peccatorum, sed quò magis fieri potest, tergat etiam omnes vitiorum fæces, & virtutibus instructa hylaris, ac læta appareat circundata varietate. Psal. 44.

Certè si domũ nostram; inquit Gregorius Papa; quisquam diues, aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet.] Si ita exactè; si tanta diligentia hominum domus ad hominem recipiendum expoliri debet; quid de templo Dei? de illo inquam de quo dicit homil. 30. in Euang.

Apo-

1.Corint. c.3. Apostolus; Nescitis quia templum Dei estis vos,& Spiritus Dei habitat in vobis.] quam accuratè non solum mundari ab omnibus, vel leuibus vitiorum, ac passionum reliquijs, sed etiam virtutibus vniuersis diligentissimè exornari deberet? Hoc etiam homines faciunt ad recipiendum in domum suam hominem, vt iste, ne sordibus quidem offendatur, sed ornamentis etiam delectetur; neque honore debito æstimaretur hospes exceptus, si potens dignum excipiendo hospitem, ita domum hospitij non aptaret. Qua ergo munditia, quo ornatu aptabitur templum animæ, in quod realissimè recipitur non homo purus, sed Deus, & homo? in quo commorari debet tamquam in loco habitationis suæ Maiestas Diuina? vbi exoptat talia inuenire,vt va-
Prou.c.8. leat affirmare in hoc templo, in hac scilicet anima habitare, esse delicias suas: sicque in ea quotidie inhabitando, eamdem perficiat templum gloriæ Maiestatis suæ.

Et qua ratione existimare debent fideles, venire ad eos, vt inquit Apostolus, in azimis synceritatis,
1.Corint. c.11. & veritatis; nisi iuxta expositionem Catechismi Romani; vt indicet, quam mentis, & cordis puritatem inuenire cupiat; quam alienam animam ab omni malitiæ, & nequitiæ macula, quam depuratam ab omni vel minima euaporatione ex vitæ veteris fermento. Qua ratione putare debent, dixisse Apostolum; debere homines Deum, & ho-

minem

minem ſacramentaliter recipere non ſolum in azimis ſinceritatis (ideſt cum munditia ab omni fermento malitiæ, & nequitiæ) ſed etiam veritatis; niſi vt etiam cum omnium virtutum ornatu recipiant; vt nihil in eis, quod oculos ſuæ maieſtatis offendat, ſed quod maximè delectet inueniat, ſicque tamquam in ſede deliciarum ſuarum libenter quieſcat.

Hoc idem docere intendit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. quando poſt ea, quæ dixerat cap. 7. de præparatione ad Chriſti corpus recipiendum, addidit in 8. de ijs, qui ſacramentaliter ipſum, & ſpiritualiter recipiunt; Eſſe nimirum eos, qui ita ſe prius probant, & inſtruunt, vt veſtem nuptialem induti ad diuinam menſam accedant.] Illam inquam veſtem, vt ſupra notauimus, quam varius virtutum color dignam reddit, vt eam induta digna appareat ſponſa diuino ſponſo ad cœnam eius. Ideo non dixit tantum (probant) per quod, vt probauimus, ſignificat neceſſariam conditionem, ne in dicium, & condemnationem ſumant, ſed addidit (inſtruunt) quod vtique idem eſt, ac dicere, non ſufficit domum animæ, ad Chriſtum digne recipiendum à ſordibus culparum detergere: ſed inſtruere etiam neceſſe eſt ornamentis virtutum; ſicut inſufficiens eſſet ad hortum deliciarum alicui præparandum, noxias plantas euellere, niſi innoxijs

etiam

etiam repleatur, & ad oculos gustumque proficuis.

Et quoniam ad deliciarum hortum sermo peruenit, illum considerent fideles (& altera erit ponderatio ad aptiorem semper pro tanto sacramento dispositionem habendam) quem præparauit Deus homini, cum primò intrauit in orbem terrarum.
Gen. c. 2. Paradisus namque erat, in quo posuit hominem, quem formauerat de limo terræ, sed quia ad imaginem suam creauit illum non in terram inuiam,
Psal. 62.
Gen. c. 3. & inaquosam, non in terram spinarum, & tribulorum; non in locum horroris, & vastæ solitudinis, vt vilissimæ carnis conditioni conueniens erat; sed vt inquit Damascenus, in Paradisum eum recipit, qui est diuina regio, & digna eius, qui ad imaginem Dei erat, conseruatio.] Erat in loco isto, vt affirmat D. Thomas 1. 2. q. 102. ar. 1. ad secundum, ex Isidoro; perpetua aëris temperiès, in qua assimilabatur corporibus cœlestibus, quæ sunt absque contrarietate; & purissimus, ac tenuissimus ibi aër vndique circumfulgebat: locus erat plantis semper floridis comatus. Ita S. Doctor.
Deut. c. 32
Lib. 2. de fide Ortodoxa.

Sed quam multa scripsere Doctores de amœnitate, elegantia, pulchritudine, iucunditate, ac dignitate huius loci, hic recensere superuacaneum duco, tum quia satis nota apud fideles regulariter sunt, tum etiam, ne nostræ breuitatis, & huius opu-

sculi

ſculi paruitatis tranſgrediamur limites pro omnibus ſit ſatis, aliqua ſupracitati Damaſceni hic verba referre, qui lib. 5. de fide Orthodoxa cap. 11. ſic ait. Hic ille Diuinus Paradiſus eſt, Dei manibus in Eden conſtitutus, voluptatis omnis, ac iucunditatis animi promptuarium (Eden enim interpretatus, delicias ſonat.) in Oriente ſupra vniuerſam terram ſitus, probeque temperatus, & ſubtiliſſimo, ac puriſſimo aëre vndique illuſtratus, plantis nunquam non floridis vernans, ſuauiſſimo odore, ac lumine plenus, ſenſilis omnis elegantiam, & pulchritudinis cognitionem ſuperans.] Sed quid multa; locus erat à Deo ita creatus in terra, vt ſimilitudinem quandam & æmulationem haberet cum Cœlo, atque hic in eum reciperet ſibi caros, in quibus propriam complacuit inſculpere imaginem; vbi tanquam in ſummi regis palatio hoſpitarentur tempore huius viæ, ac vitæ: vbi etiam adfuiſſet erga eos, vt inquit D.Thomas loco citato ar.3. Diuina operatio, qua inceſſanter iuſtificarentur, ſemperque magis cari redderentur; nec Dei cuſtodia defuiſſet, qua ab omni corruptione, & ab omni malo præſeruarentur: ibique, addit S.Doctor art.4. toto tempore animalis vitæ, quouſque ſpiritualem adepti perfecto modo, eſſent commoraturi, indeque finali tempore ad cœleſtem patriam transferendi. D. Thoma ibid.ar.2.

Hæc eſt vmbratica quædam illius loci deſcriptio, quem diuina magnificentia, & Creatoris

Vu po-

potentia efformauit ad recipiendum tanquam in hospitium hominem ex vili limo plasmatum, quia in isto imaginem suam delineauerat, sibique in amicum assumpserat. Nec putes, quæ de terrestri Paradiso dicta sunt per quandam exaggerationem esse narrata: quia si oculis tuis vidisses, vt sancti Dei in mentis excessu viderunt, præ stupore non remansisset in te vltra spiritus, haud minus quam in Regina Saba, intuendo ordinem, dispositionem, magnitudinem, pulchritudinem, totamque illam consonantiam, rerumque harmoniam; & exclamando cum Habacuc, & Ecclesia diceres. Consideraui opus tuum, & expaui.] Et fassus esses cum dicta Regina, quod tibi non dimidia, sed nec minima pars narrata fuisset, maiusque affirmares, esse Dei opus, Dei locum, quem homini præparauit, rumore, quem audijsti; & admirando, cum Iob. exclamares: Domine quid est homo? quia magnificas eum.]

Cap. 3.

In Natiu. Christi.

3. Regum c. 10.

Verum quia omnia nobis, non minus, quam illis, nempe Iudæis, in figuris contigerunt; ita in re, de qua nunc loquimur: quia, sicut lignum vitæ in hoc paradiso erat, dicit D. Thomas, arbor quædã materialis, & significabat aliquid spiritaliter: ita pariter locus totus materialis aliquid nobis spiritaliter demonstat. Quid autẽ præclara huius loci figura, quid hoc tam nobile, quod Deus hominibus in hac vita peregrinantibus præparauit habitaculum,

1. Corint. c. 10.

Loco cit. ar. 4.

in-

indicet, quid per illud Deus hominibus ſignificare voluerit, exiſtimo non obſcurum, ſed clarum eſſe mentis oculos non obumbratos habentibus.

Si enim Deus, ac Dominus homuncionibus, viliſſimiſque famulis tam nobilem, tam præclarum præparauit Paradiſum; ſi figuram, & imaginem in tam dignam Deus habitationem recepit; in quam debent ſeruuli Deum, ac Dominum, figuratum, & prototypon recipere, cum ad eos corporaliter in diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento dignatur deſcendere? cum ſub tectum eorum intrare? cum in corde, & in membris ipſorum, vt inquit Apoſtolus, habitare? Iam audiuimus quem locum Dominus hominibus præparauit, cum in magnum hunc Mundum intrauerunt: vt ſimilem ſaltē ei præparent in cordibus ſuis, cū in ipſos Deus tanquam in Mundum paruum dignatur intrare. Eo vel magis, quia complacuit in ſibi filios viles homunciones, & famulos adoptare. Et ſi filius ſimilitudinem patris debet habere, vt inquit Auguſtinus, etiam in hoc ei aſſimilari maximè conuenit, vt non minori cum honore recipiat Patrem, quam à Patre receptus eſt filius: ſi Patri non fuit ſatis hoſpitari filium in loco ab omni malo, ab omni immunditia libero, ſed eundem tot voluit, tamque magnificis ornamentis aptare, ita vt deliciarum Paradiſus appellaretur; quomodo ſatis erit filio, ad talem, tantumque Patrem, ſimulque Dominum, Creatorem,

Matt. c. 8.

1. Corint. c. 3.

Lib. 7. de ſerm. Domini in Monte c. 2

ac Deum suum in cordis sui hospitium recipere, à solis peccatorum impuritatibus, & iniquitatum fæcibus depuratum? Et non potius omni festinantia, omnique solertia peristromatibus, aulæisque virtutum curet illud ornare.

Matt.c.25 Filios Dei Christus pacificos appellauit: & isti sunt, inquit Augustinus, in quibus nihil repugnat; & ideo filij Dei, quia nihil in eis resistit Deo. Nihil erat in loco, quem sapientissimus Deus, & amantissimus Pater adoptiuo filio præparauit, quod ei resisteret, ac nihil quod malum inferret, aut à fælicitatis expelleret habitaculo. Nihil etiam esse conuenit in tabernaculo, quod homo in filium adoptatus Deo præparat, quod Deo, & optimo parenti resistat, quod culpæ malum inferat, quo exturbetur à loco habitationis suæ; neque quisquam id aliquando consequetur, nisi virtutibus instruatur, quibus passiones frænantur, vitia comprimuntur.

Eccl. in festo Purificat. Age ergo adorna thalamum tuum Sion, purifica animam vitijs, virtutibus orna; sicque, vt filia, ad patris similitudinem, aptum ei locum dispones, teque aptam expones ad munera amplissima, quæ Matt.c.26 etiam in hac vita clementissimus Deus, & pater amantissimus præparauit ijs, qui tamquam filij, & Mar.c.14. discipuli parati sunt, vt cum illis faciat pascha, & stillet hic etiam aliquid in eis de torrente illo volu- Psal.35. ptatis suæ, quo ad satietatem dat potum in Cœlo.

Desinat nunc murmuratio tepidorum, querelæ negli-

negligentium non amplius audiantur; si negligunt ornare domum, ad apte, ac digne recipiendum Dominum, & patrem suum; si non student, declinando à malo, facere bonum, purgando animam vitijs, virtutibus exornare, si nolunt imitari parentem, qui ipsis pacificum, & delitiosum locum in terris parauit, vt similem ei præparent in cordibus suis; in quibus sane non habitabit, si pacem non reperiet: quia factus est in pace locus eius. Charitas enim est Deus; sicque commoratio eius esse nequit, vbi est turbatio, vbi passionum impetus huc illucque distrahunt, & veluti in frusta corda discindunt. Quid mirantur, si tanti hospitis non fruuntur donis? Si erga Deum deuotionem non sentiunt? Si dulcedinem eius non gustant? Si gratiæ, & charitatis in seipsis augmentum non experiuntur? Exorent cum Propheta, vt cor mundum creet in eis Deus; & ipsi illud virtutibus instruant, & præparent parenti suo, eo modo quo ille paradisum ipsis parauit; & tunc ad eos veniendo, veniet, & mansionem apud eos faciet, adimplebitque suis donis, & ostendet eis salutare suum: vt in eo hic lætentur, & alibi eodem fruantur, & magna sit gloria eorum in salutari suo.

Psal. 36.

Psal. 75.

1. Ioa. c. 1.

Interrogent deuotos, & sanctos viros, & respondebunt eis, perlegant acta istorum, & inuenient qua humili reuerentia, qua feruenti charitate, quo studio omnium virtutum domum cordis Domino præpa-

Luc.c.1. præparabant; quanta deuotione se disponebant; qua quisque recta mente illud proferebat; Et vnde hoc mihi, vt veniat ad me Dominus, & plasmator Matt.c.8. meus: vt intret, non iam sub tectum, sed in cor, & corpus meum, qui non sum dignus, vt eius sol- Matt.c.1. uam corrigiam calceamenti.

Quis nesciat cum hominibus Deum agere, vt in eis inuenit dispositiones, & hac in re ita se gerere (quod supra notauimus) vt naturales causæ se habent, quæ ea proportione suos effectus in subiecto producunt, qua illud dispositionibus aptum reperiunt. Hinc D. Gregorius de discipulis illis, qui ibant in Emmaus, inquit; Quod Dominus eis apparuit, sed speciem, quam recognoscerent, non ostendit: quia hoc egit foris in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis; ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant: eis autem Dominus foris, & præsens erat; &, quis esset, non ostendebat, de se ergo loquentibus præsentiam exhibuit: sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit.] At vero quando cor eorum magis incaluit, & iam cepit in illis ardens esse, & ad opera hospitalitatis, & charitatis manum dare, eis quoque Dominus cognitionis suæ speciem ostendit. Ita sane omnibus cum hominibus agit Dominus. Quia non dormientibus, dicit Ambrosius, diuina beneficia, sed obseruantibus deferuntur; qui enim negligit, estque desidiosus, Dei dona in-

Hom: 23. in Euang.

Lib.4.in c.4.Lucæ.

se

ſe non ſentiet, quia huiuſmodi quamuis ſit præſens per ſuum corpus, abeſt tamen, vt inquit idem Ambroſius per ſua dona, qui adeſt diligentibus, & per præſentiam corporalem, & per magnificas, & admirabiles ſuas operationes. Lib.9. ſuper c. 20. Lucæ.

Quis, niſi temerarius, ſperet dona, & retributiones à principe, quem ſine debito honore in domum ſuam recepit; bene tamen qui honorificè, & quo magis, eo plura; apud iſtum libenter manſionem facit, & ſua dona multiplicat, quia nihil in eo reperit, quod oculos ſuæ maeſtatis offendat, ſed ea potius, quæ delectant, dum non ſolum ſcopis mundatam, ſed ornatam inuenit huius animæ domum, nec iterum ingreſſum in eam, in qua Dominus commoratur hoſpes, ibique ſuas habet delicias, & cœleſtia dona multiplicat, ſpiritus nequam habebit, etiamſi alios ſeptem ſpiritus ſecum aſſumat nequiores ſe; facile tamen in domum illius ingreſſum habebit, qui etiamſi ſcopis compunctionis eam mundare ſtudeat, inquit Gregorius, negligit tamen virtutibus exornare, & deſidioſus opus inceptum (quod eſt declinare à malo, & facere bonum) non perficit; & quia Deus, vtpotè Dominus virtutum ſummæ eſt perfectionis in domo incompleta, & imperfecta non libenter inhabitat, quamuis in hanc intret domum, manſionem tamen non facit, quia in ea per ſua dona præſens nequaquam eſt; vnde ille tentationis tempore, Hom. 30. in Euang.

ait,

ait Gregorius, hoc ipsum, quod compunctus fue-
Serm. 179. de temp. rat obliuiscitur, sicque ad perpetranda peccata redit, ac si hæc minimè planxisset:] Negligentia hominum erga se ipsos est causa, inquit Augustinus, cur tantum diabolus præualet, non enim ait præualet feruidis, & diligentibus, sed tepidis, & negligentibus, ac Deum in veritate non timentibus.] Quia cum Deus istis per sua dona non assistat, facile nequam spiritus, eiusque socij nequiores insistendo præualent, & optimus pellitur hospes,
Psal. 50. vt hostis pessimus ingrediatur.

Si homines pluris se ipsos quam Deum faciunt, commodum suum Dei honori præferunt, si ne laborem, ad domum animæ suæ ornandam, assumant, vt Parenti, Domino, ac Deo suo morem ge-
Psal. 108. rant, & conuenientem parent mansionem, nihil operantur, quò pacto audent diuinam sibi exoptare, & expectare operationem? potius timere debent, ne auertat Deus faciem suam ab eis, & declinet in ira à seruis suis, proijciatque à facie sua, & non eis
Ps. 103. sua dona conferat, sed auferat spiritum sanctum suum ab eis; sicque spiritus nequam præualeat contra eos, & diabolus stet à dextris eorum.

Per modum cibi, & potus ad homines Dominus venit, in speciebus panis, & vini sub tectum, & in cor eorum dignatur intrare, vt eis indicet, quos effectus, si apte dispositos inueniat, soleat operari, vt D. Thomas affirmat q. 79. ar. 1. in corp. sicut enim

pa-

panis corpus confirmat, & vinum lætificat cor hominis; ita hæc multo magis præstat cœleste conuiuium, panis scilicet Angelorum, qui corpus est Psal. 77.
Christi, & vinum germinans virgines, quod sanguis est Saluatoris: sicut tetrenus cibus saporem Luc. c. 9.
communicat suauitatis corporibus sanis, ita, imo multo plus cœlestis, quem Deus dat animabus quę diligunt ipsum, habentem omnem saporem suauitatis; reparat nostralis cibus humidum radicale, quod in corporibus naturali igne deperditur; reparat Christiferus panis charitatis feruorem; qui leuium frigore peccatorum deperijt; vires, ac fortitudinem præstat materialis panis corporibus, maiorem spiritualis panis animabus confert, in cuius fortitudine ambulant cum Elia grandem viam, vsque ad montem Dei: hinc Vgo Cardinalis dixit; Panis corporis Christi cor hominis confirmat ad malum vitandum, & bonum faciendum, quo modo peruenitur ad montem Dei.] grandescit corpus cibo nostro vsuali vsque ad perfectam mensuram; multo plus deifico pane accquirunt animæ incrementi, cum super alia hoc sacramentum filiationem adaugeat, eamque perducat vsque ad mensuram ætatis plenitudinis Christi. ad Ephes. c. 4.
Ideo inquit Diuus Thomas. Nullum sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.] in opu. 57.

Et ecce in istis D. Thomæ verbis alij duo cibi effectus erga corpus, impinguare nempe illud, atque à noxijs humoribus expurgare, quos præstantissime, vt patet ex S. Doctore, confert animabus cibus iste cœlestis: hos effectus, aliosque permultos Eucharisticus panis in pacificis, ac mundis corde producit: hæc dona, aliaque maiora Christus communicare illis consueuit, qui domum cordis ei præparant non solum scopis à culpis mundatam, sed supernarum virtutum actibus adornatam: at verò sicut cibus materialis eo modo corporibus suos effectus communicat, quo ea apta reperit; ita animabus spiritualis, quoties namque cibus ob humorum abundantiam parum, aut nihil sapit, siue nutrit, & nonnumquam etiã nocet si peccantes in stomacho reperit qualitates; ita sane cœlestis cibus, qui quo magis pretiosus est, & ingenuus (quia qui in Cœlo est panis Angelorum, est in terra bonum, & pulchrum Dei, frumentum scilicet electorum) eo magis perfectas requirit, vt suos effectus communicet, dispositiones: sed quia sæpe contingit, quod tenues, vel nullæ sint in anima dispositiones, ideo parum, aut nihil iuuat, & aliquando, ita humor animæ prauus exuberat, vt etiam noceat. Vt cibus sapiat, vt delectet, vt nutriat, augmentum tribuat, roboret, & confirmet, oportet quod homo sit sanus, sit aptus, sit propensus ad cibum; qui absque fame comedit, qui super cibo nauseat, qui sine

modo

modo vorat, non eſt ei cibus, ſed venenum, aut ſine fructu ſumit, & in vanum. Quid homo ſperat, quid expectat à cibo cœleſti, quando ad illum languide accedit? non diſponit deuotio, non ſtimulat amor, non trahit charitas, quo ergo pacto diuinos producet effectus? quando ad cœleſtem menſam aſſidet mente diſtractus, corde ſolutus, & anima, vt filia illa vaga; delicijs diſſoluta, putat ne diuinos fauores aſſequi? ſi à confabulationibus currit ad dominicam menſam, à negotijs forenſibus ad corpus Chriſti, à curis domeſticis ad panem angelicum, audet ne expectare cœleſtium fruitionem deliciarum? dum animæ ſuæ palato terrenis affectibus tumido, mente inutilibus cogitationibus fœcunda, corde vanis deſiderijs hubere Chriſti corpus manducat, credit ne ſupernorum ciuium ſuauitatem guſtare, & chariſmatibus diuinis ditari? attendat, quæ ſcribuntur de hoc ſacramento in Catechiſmo Romano: perlegat librum quartum opuſculi viri deuotiſſimi Thomæ à kempis de imitatione Chriſti; & inueniet, quid facere oporteat, & cognoſcet, quæ tempora impendere, quas virtutes exercere, quo pacto debeat ſe diſponere, & ad tantum ſacramentum, vt fructus eius percipiat, præparare: ea, quæ in iſtis alijſque pijs Doctorum libris reperiet, qui ſolita, & ſolida deuotione ſcripſere de diſpoſitione, quam, vel neceſſariam, vel magis congruam exiſtimarunt ad cibum cœleſtem,

cum fructu recipiendum exequatur ; & lætabitur, & dilatabitur cor eius, quia tanti sacramenti percipiet fructus, atque ita agendo respondebit Domino, & Parenti optimo, parando illi aptam domum, vt hospitetur; dignum templum, vt honoretur; deliciarum Paradisum, vt in eo lętetur.

Isa. c. 60.

CAPVT XIII.

Quibus frequenter communio, aut etiam quotidie concedenda sit.

QVAM desiderabile esset, quam delectabile ita omnes semper esse dispositos, vt possent quotidie communionem accipere, manifestum est ex doctrina Concilij Tridentini,& ex sensu omnium Patrum, & piorum Doctorum. Sed quia, vt inquit D. Thomas; Non omnes, iuxta monitum Augustini, sic viuunt, vt sacram Eucharistiam quotidie mereantur accipere; sed in pluribus hominum multa impedimenta magnæ deuotionis, & reuerentiæ; quibuscum ad sacramentum hoc accedere deberent; adesse solent; propter corporis indispositiones, & animæ; ideo non est vtile omnibus hominibus ad hoc Sacramentum quotidie accedere.] Et hic obiter nota, Sanctum Doctorem non dice-

dicere, esse noxium, esse in iudicium, hoc sacramentum accipere, sed non esse vtile, sicut etiam dicit Catechismus, quia scilicet esset sine fructu sacramenti, vt nos supra dicebamus.

Sed quibus tandem erit vtile, & quibus frequenter, vel etiam quotidie licebit accedere ad sacram Eucharistiam recipiendam: ex dictis responsio deduci iam potest. Sed vt quæsito hic breui, & claro sermone responsum demus, & sensum nostrum magis aperiamus in hac tam sancta, vtili, ac necessaria materia:

Dicimus primo generaliter, sacram communionem, & frequenter, & quotidie omibus, qui ita sunt dispositi quotidie, vt capite præcedenti notauimus, licitam esse, & à Confessarijs, atque animarum Rectoribus concedendam. Sed quia, vt Diuus Thomas dicebat, & experientia satis ostendit, non possunt regulariter tam viri, quam mulieres varijs occupationibus implicati, ita esse, vt diximus, dispositi, vtque necessitas exigit, & conuenientia requirit: Ideo practicè solis illis videtur concedenda huius Sacramenti prædicta frequentia, qui in tali reperiuntur statu, in quo possint, & soleant, ita se disponere ad sacram Mensam, vt panem diuinum Patris Cœlestis magna cum deuotione, & reuerentia, vt loquitur Angelicus Doctor; & purgati, ac instructi, vt inquit Tridentinum, manducent, atque ita in sanctitate, & iustitia omnibus diebus ar. 10. in corp. Sess. 13. c. 8. Luc. c. 1.

vitæ

vitæ suæ coram ipso, eiusque ad mensam appareant.

Ita certè se habent Claustrales, ita quidam alij, quibus à rebus mundanis abstractis, & domesticis curis solutis, soli Deo vacandi tempus non deest, eique soli vacare nituntur; & curant ita virtutibus se instruere, vt verè, & nomine, ac re filij efficiantur, atque vt tales reuerentes, & deuoti in circuitu mensæ magni Patris familias sedeant, & panem
Psal.105. supersubstantialem, & cœlestem comedant ad satietatem: alijs vero, qui non vt filij in circuitu men-
Matt.c.15 sæ eius, sed vt catelli sub mensam, sufficiat edere de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum, vt ita viuant, & Domino, eiusque filijs, secundum mi-
Luc.c.19. nisterium, quod illis contigit, libenter inseruiant; atque ita tandem mna sufficienter negotiata, re-
Ad Hebr. c.9. tributionem repromissionis accipiant.

Si vis aliquem suauiter interficere, multiplica sæpe cibum, dum calor in stomacho valdè remissus est; hic enim post pauca nauseat super cibo, &
Nu.c.21. pro leuissimo habet, qui pretiosus, atque præcipuus est; & qui nimio calore feruenti prodest, idem obest in calore deficienti, & cuius frequens repetitio est vni ad stomachum, prauos humores, & tandem ad mortem, alteri est ad saporem, ac virium, & vitæ incrementum. Hæc in iuuenibus, hæc in senibus comprobabis; et quamuis aliquando caloris vigor, & vires maiores ex cibo in sene, quam

in

in iuuene appareant, apparent certè, ſed re vera, ita non eſt, quia dum calor naturæ deeſt, adeſſe realiter non poteſt tantus ex cibo vigor, quantus in eo, in quo calor viuidus naturæ eſt.

Sæpe catelli ob panis fruſta, ob micas, quas à Domino accipiunt, cauda, lingua, ac pedibus ei blandiuntur, quæ filios præſtare regulariter non videbis, etiam ſi ad menſam Patris ex medulla tritici plena ſatietate reficiantur: Imprudens, & rudis homo, benè omnibus non perſpectis, ab ijs leuiter motus, quæ (vt aiunt) in prima fronte apparent; affirmaret plus à canibus Dominum, quam à filijs Patrem amari; non ita prudens, & doctus, quem non latet, verum non eſſe amorem, vbi voluntas non eſt; & vbi verum, efficax, & ſtabile velle ad Dei mandata ſeruanda, ibi ſolidum, & verum amorem eſſe, quia dilectio Dei eſt obſeruatio mandatorum eius; ideoque, vt hæc dilectio vera, & filialis ſit, ex Auguſtino, debet eſſe longanimis, & in bono opere perſeuerans, nec talis alicuius erit, inquit ſanctus, niſi illius, qui ferueat diligendo.] Tract. 87. in Ioan.

Vbi ergo hanc non inuenies longanimem, firmam, & inuariatam obſeruantiam mandatorum, non dubites affirmare, ibi verum non eſſe amorem, quem philoſophus diceret analogicum, cuius aliquando indicatio, vniuoci indicatione ac veracis, eſt maior: & certè verus dici amor non debet, quia ſolidus amor non eſt, ſic iſti verè filij dici haud poſ-
ſunt

1. Ioã. c. 1. sunt, quia filius ille verus, qui firmiter similitudinem patris in se exprimit per naturam patris; si ergo
Luc. c. 12. Pater coelestis est charitas, Quia Deus charitas est; qui stabilis in charitate est, hic verè filius, hic quotidie ad mensam patris accedat; huic Christus
Idem c. 16 ad mensam recumbenti libenter, transiens, ministrabit, quia hic purpura, & bysso puritatis, & charitatis indutus, dignus est quotidiè epulari; alij vero, vt dicebamus, qui non vero filiorum amore, non perfecto sunt ornatu dispositi, non ita exponantur ad mensam, sed mensæ reliquijs viuant, aliquando sumant, quia si sæpe, cum charitatis calor non sit nimius, sicque vel non sufficienter eo modo quo par est, vel non ita frequenter verum excitet appetitum, potest obesse potius sacri cibi frequentia, quam prodesse, eo modo quo supra capite primo, & sequentibus significauimus.

Hanc nostram doctrinam videtur indicare, & confirmare Thomas de Argentina dist. 12 quęst. 13. ar. 3. dum discrimen assignat inter perfectos, & tepidos; vbi exemplo caloris naturalis, vt nos, vtens, sic inquit. Illis sæpius congruit sumere, qui spiritualiter habent fortiorem virtutem digestiuam; puta in quibus viget magis amor, & estuans desiderium ad sumendum.]

Nec te decipiat quædam apparens aliquando deuotio, seu potius teneritudo, & capitis imbecillitas quorumdam, præsertim mulierculorum, quæ ante,

vel

vel post communionem etiam prorumpant in lacrymas. Tu verò Director vigila, vt opus facias Euangelistæ; cognosces sane ex fructibus, non ex folijs, siue floribus, cuiusnam sint conditionis; an vere de numero filiorũ, qui mereantur quotidie ad mensam Patris cœlestis adesse, an potius non verè, & proprie, & vt ita dicam non vniuoce, sed veluti analogicè hoc eis nomen conueniat, atque ita micæ, aut frusta ad summum, non integer mensæ Cœlestis panis conueniat; & erga istos prudens Rector secundum sapientiam, & spirituum discretionem à Deo sibi datam, se geret, plus, minusue, iuxta singulorum aptitudinem, & temporum dispositionem auarus, siue parcus, aut liberalis erit.

2. ad Tim. c. 4.

1. cor. c. 12.

Et regula quædam veluti generalis desumi potest ex Gennadio lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, quam affert, & approbat D. Thomas 3. p. quęst. 80. ar. 10. ad 5. Vbi consulitur omnibus diebus dominicis esse communicandum; quia dies hæc maxima semper fuit in Ecclesia apud fideles omnes ab ipsomet Apostolorum tempore, vt potè commemoratio quædam præcipuorum mysteriorum, quæ beneplacitum fuit Deo, die dominica ad gloriam sui nominis, & hominum salutem, nota facere mundo. Hac enim die creatio mundi principium sumpsit: hac die mundi redemptio completa est, quia si Christus non resurrexit vana est fides nostra, inquit Apostolus, hac enim die resurrexit Christus

Tom. 3. cap. 58.

1. cor. c. 15

stus; hac die spiritus sancti gratia desuper effusa est, & diffusa super omnem carnem: hac die creditur, venturus esse Filius hominis ad iudicandum mundum: hac die, vt affirmat Augustinus Deus pauit primò manna de Cœlo Israeliticam gentem in deserto, eamque traduxit eadem die sicco vestigio per mare rubrum, & inimicos eorum operuit mare. Hac die Christus natus est in Iudæa: stella apparuit Magis in Oriente: hac die per suum Præcursorem Christus in Iordane baptizatus est: hac die in Cana Galileæ aquas conuertit in vinum: & tandem quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiauit in monte. Vnde à Chrysostomo vocatur dominica, dies lucis, & dies panis, & à D. Ignatio martyre, regina, & princeps omnium dierum: congruum ergo erit, vt in die panis, & in die regina dierum, quam Deus suæ gloriæ, & nostræ vtilitati tot prodigijs, tantisque mysterijs dicatam, ac ditatam esse voluit, fideles omnes eam festiuo iubilo celebrent, et conuiuia Cœlorum frequentent, ac manna de Cœlo, et Angelorum pane ad propriam vtilitatem, et Dei gloriam reficiantur.

Ser. 154. de Tempore. Psalm. 77. Luc. c. 2. Matt. c. 2. Ided. c. 3. Ioan. c. 2. Ided. c. 6.

Non possunt hac die fideles corporaliter ieiunare ex decreto Concilij Nicæni, et Canone Apostolorum 55. ob lætitiam tot, tantorumque mysteriorum; multo minus licebit spiritualiter; si enim ob lætitiam, quæ primò, et per se spectat ad animam,

et

et ſecundario, et per accidens, ſiue per redundantiam ſpectat ad corpus (vt in ſimili clare colligitur ex D. Thoma 3 p q. 79. ar. 1. ad tertium) corporibus relaxatur ieiunium; et alia permulta conceſſa ſunt ab Imperatoribus, quæ ad corporum leuamen ſpectant, et quietem; eaque hic enumerare ſuperſedeo, ne longiorem protraham ſermonem; multò plura concedenda ſunt animæ, quorum præcipuum eſſe debet indulgentia cœleſtis conuiuij, vt panem illum fideles edant, qui cor hominis confirmat, & lætificat eius animam. Ad hoc idem conuiuium admitti poſſent alijs etiam diebus feſtis illi ſaltem homines, qui ſuo in ſtatu cautè viuunt, vel ſi non omnibus, aliquibus ex ſolemnioribus: vt ita, & lætitia cordis augeatur, & creſcat animæ robur. Pſal. 103.

Non renuerem frequentiorem, & fortaſſe etiam quotidianam concedere ijs communionem, qui licet non ita exactè, ob impedimenta, poſſent ad ſacram menſam ſe diſponere, experientia tamen oſtenderet, ab aliquibus grauioribus culpis ex ſacramenti frequentia præſeruari, & alioqui ex eiuſdem carentia in aliquam ex ijs ſæpe cadere: in hoc enim caſu, cum vtilitas ſacræ communionis manifeſtè appareat (nam vnus ex effectibus quos directè hoc ſacramentum producit, vt aſſerit D. Thomas q. 79. ar. 6. ad tertium, eſt confirmare cor hominis in bono, per quod etiam præſeruatur homo à peccato; vt pariter affirmauit Tridentinum ſeſſ. 13.

cap. 2.) inferri potest, & dispositionem, qua isti ad sacram communionem accedunt, esse sufficientem ad effectum sacramenti: quia cum ex epistola supra citata ad Episcopum Brixiensem habeamus, multas esse gratias, & Dei dona paruulis elargita; credere omnino debemus, in dictis casibus huiusmodi homines humili corde, per Dei dona, ea pro viribus exercere ad se apte disponendos, quæ temporis angustia, & occupationum multitudo concedunt, per quæ apte dispositi dignè ad sacram communionem accedant, sicque fructum eius percipiant.

Iam igitur significauimus personas, & occasiones in quibus licitum, & fortasse necessarium etiam esset, frequentem, siue quotidianam communionem concedere: non tamen damnarem prudentem, & pium directorem, si in alijs casibus, alijsue personis abstinentiæ cibi spiritualis rigorem amplius relaxaret; quia nullus iudicare debet alienum seruum, & suum conseruum, præcipuè cum de hac materia (vt iam supra diximus) scriptum sit, quotidie communionem accipere, nec laudo, nec reprehendo.

Lib. de Eccles. dog. cap. 55.

O vtinam omnes ita viueremus, vt quotidie mereremur accipere id, quo quotidie indigemus, tum ad augmentum gratiæ, tum ad feruorem charitatis, tum ad relaxationem culpæ pariter, & pœnæ, tum ad roborandam animam in bono moris, & præseruandam à malo culpæ, tum ad conseruandas,

das, & augendas virtutes, tum denique ad præstandum Deo obſequium, Angelis lætitiam, & hominibus exemplum bonorum operum. Ideo Auguſtinus dixit, Quotidie accipe, quod quotidie tibi prodeſt, ſic viue, vt quotidie merearis accipere.] Et hic ita (bene ſcilicet viuendo) donis huius ſacramenti diuinis lætemur, eorumque vi, ſic de virtute in virtutem eamus, vt tandem ad montem Dei aſcendere facilè mereamur, ibique ſemper viuendo, non donis ſolum, ſed donatore ipſo in æternum fæliciter perfruamur.

Ad Tit. cap. 1.

Serm. 18. de tempore.

F I N I S.

Poſt huius Opuſculi impreſſionem, antequam publicaretur, Decretum in fauorem doctrinæ in eo contentæ à Sacra Congregatione Concilij Tridentini emanauit ſub die 12. Februarij 1679. quod quia in Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ impreſſum eſt, & in omnem locum miſſum, in ipſo originali videri poteſt, nobiſque ſatis eſt hìc illud indicaſſe &c.

IN-

INDEX RERVM,

Quas hoc opuſculum continet.

Numerus eſt paginæ.

A

ACTVS maritalis cur impediat communionẽ? 97. ſemper eſt cum aliqua culpa, niſi fiat propter bonum prolis, aut bonum charitatis. 101. non ſolum impedit celebrationem in Sacerdote Græco, ſed communionem in laico. 104.

Actus ſolummodo materialiter bonus producit habitum, formaliter malum. 159.

Actus omnes morales ordinantur ad gratiam habitualem. 268.

Actus ſimul bonus, & malus moraliter dari non poteſt. 302.

Ambroſius quid dicat de communione. 50.

Amicitia inter quos eſſe poſſit: & quomodo eſſe debeat. 161.

Amor Dei quid operatur 294.

Amoris veri, ac filialis ſigna; & è contra. 351.

Ana-

Anacleti decretum de communione cur effectum non habuit? 114.

Anima ex impuritatibus pollutionis remanet aliquo modo vas, & receptaculum immundum. 27.

Annunciationis in festo, si feria sexta in parasceue incidit, non debet sanis Eucharistia ministrari. 256.

Attentio, & deuotio actualis non sunt necessaria ad effectum præcipuum Eucharistiæ. 154.

Attritio quare requiritur ad hoc, vt sacramenta conferant gratiam, & deleant peccata. 227.

Auersa quid dicat de communione? 73.

Augustinus quid dicat de communione? 43. 44. & 54.

Authoritates siue Sanctorum sententiæ accipiendæ sunt integræ, & in sensu ab eis prolatæ. 40. *non ita faciunt contrarij authores.* 77.

B.

B*Asilius quid dicat de communione?* 64.

Bernardus quid dicat de communione? 44. & 264.

Bonauentura quid dicat de communione? 56.

C.

C*Aelibatum quo tempore Sacerdotes Græci deseruere?* 106.

Cæremoniæ, & orationes Ecclesiæ quam vim habent cum à ministro publico exercentur? 317.

Ca-

Canon Apostolorum de communione quomodo intelligi debet, & qua ratione fuit factus. 215. & c.

Canones Concilij Eliberitani nec falsi sunt, nec inter se pugnant, vt dicit Pintus. 143.

Causarum impulsiuæ, & finalis distinctio. 99.

Christianorum primitiuæ Ecclesiæ charitas. 90.

Christus in Eucharistia cur venit ad nos in azimis sinceritatis, & veritatis, vt inquit Apostolus? 334. *cur in materia cibi, & potus?* 202. & 344.

Chrysostomus quid dicat de communione? 51.

Cibi repetitio quibus nocet, quibus vero iuuat. 350.

Cibus Eucharisticus quos effectus præstat. 344. & c.

Cyprianus quid dicat de communione? 51.

Communio quotidiana absolutè damnari non potest. 1. *Sed omnibus licitam esse quotidie per solam carentiam culpæ mortalis dici non potest. Ibid. Quid D. Bonauentura de hac re senserit.* 2.

Communionis medium inordinatè eo venti obest potius, quam prosit in via Dei. 5.

Communio quotidiana quibus non conuenit. 8.

Communionem relinquere ex reuerentia, est Deum glorificare. 8. *Reuerentia aliquorum erga Eucharistiam.* 18.

Communicare debet mane in sententià aliquorum, qui nocte contra castitatem grauiter deliquit. 19.

Communio fieri non debet iuxta sensum Ecclesiæ, & Diui Thomæ sine magna puritate, ac deuotione. 29. & c.

Communionem quotidianam Sancti commendant, non tamen

tamen sine digna preparatione, 41. & 67.
Communio negabatur fornicarijs, & similibus, vt refert Climacus. 48.
Communicare cum sola carentia culpę mortalis est periculosum ex Bonauentura. 57. Illi soli ex eodem communicare debent quotidie, qui sentiunt se esse in statu Ecclesiæ primitiuæ. 58. Communionis frequentia ex charitate maiori, vel minori regulatur ex SS. Thoma, & Bonauentura. 61. Omnes quotidie indiscriminatim communicare non est vtile. 113. Communionem indiscriminatim omnibus suadent aliqui magis suum commodum, quam Dei honorem attendentes. 70.
Communicare qui possunt quotidie ex reuelatione Sanctæ Gertrudis. 82.
Communionis fructus crescit ex desiderio per dilationem temporis. 74.
Communionem quotidianam, qua ratione motus Sanctius omnibus persuadet. 84. Quonam modo intelligi debet ratio adducta à Sancio. 85.
Communio quotidiana quonam modo fuit in pręcepto in primitiua Ecclesia. 89.
Communionis quotidianę ratio in primis Christianis. 91.
Communio fieri non debet post quemcumque actum venereum, etiam maritalem. 141. &c.
Communio non frequenter facienda est per aliquos authores. 145. Quid Lugus, & authores societatis sentiant de hac re. 146.
Communicare sæpè reuerenter, ac dispositè resultat in

Dei gloriam fitque ita habitus bonus, alioqui malus. 159.

Communionem differrè ex negligentia reddit hominem minus semper paratum ad eam, non vero ex reuerentia aut alia honesta causa. 162.

Communio prima quando est dispositio ad sequentem. 165.

Communionis frequentia multornm inconuenientium est in aliquibus causa, inuoluitque periculum sacrilegij. 230. *&c.*

Communicare beneualentes in proprijs lectis est maximum inconueniens. 235.

Communicare non tenentur pueri statim atque vsum rationis acquirunt. 217.

Communicare non possunt sani feria sexta in parasceue. 250. *&* 257.

Communicare infirmos quotidie non ieiunos non est licitum. 260.

Communicantes quotidie deberent post aliquod tempus esse maximè feruentes in charitate. 293. *Communicantes non bene dispositi sunt valde dispositi ad mortem animę.* 295.

Communio quibus frequenter ac etiam quotidie conuenit. 349.

Communio frequentior concedi debet ijs, in quibus effectus aliquis bonus ex communione apparet. 355. *Et quibus tandem prudens Director iudicauerit conueniens.* 356.

Communionis regula generalis pro omnibus desumitur ex Gennadio: 353.

Communionis realis tempus determinatur ab Ecclesia. 196

Com-

Communionis ius est incertum, & indeterminatum. 180.

Communio non debet fieri in fine Missę, nisi in Missis mortuorum. 257.

Compensatio fieri nequit inter certum, & incertum. 179.

Concilium Cabilonense quid dicat de communione. 137.

Concilium Tridentinum quid pręcepit circa communionem Monialium. 147.

Concilium Coloniense quid dicat de Sacerdotibus, qui minus digne se habent in suo ministerio. 236.

Concionatores debent docere populum de magna pręparatione requisita ad communionem. 131.

Confessarijs committitur iudicium maioris, aut minoris frequentię communionis. 130. 206. & 210.

Coniuges aliqui, & aliqui negotiatores possunt esse quotidie bene dispositi ad sacram communionem. 122.

Consuetudo populorum habet vim legis. 206.

D.

Decretum Congregationis Concilij Tridentini circa communionem. 117.

Desiderium temporis imperfecti non est de re absolutè, sed sub conditione possibili. 132.

Deuotio, & reuerentia non stant in carentia culpę mortalis. 69. & 71. & 237. & 241. &c.

Deuotio, & reuerentia quidnam sint per SS. Thomam, & Bernardum. 244.

Deuotio, & actualis attentio non sunt necessaria ad effectum precipuum Eucharistię. 154.

Deuotio particularium non debet praualere ritibus Ecclesia. 258.

Deuotionis apparentis, & verę signa, seu indicia. 352.

Deus agit cum hominibus iuxta dispositionem, quæ est in ipsis. 342.

Directores non sunt reprehendendi si aliquando negant communionem, sed potius si faciles sunt ad eam omnibus concedendam. 9. *ad eos spectat iudicare, quibus concedenda sit.* 13. & 210. *Quid D. Thomas de hac re sentit.* 14. *Quę mouere possunt directores ad negandam communionem.* 31. & 320. *Quid de directoribus negantibus communionem dicunt contrarij authores.* 75.

Dispensatio, & interpretatio spectant regulariter ad prælatos. 179.

Dispositio ad Eucharistiam est triplex digna, non digna, & indigna. 276.

Dispositio si desit in subiecto, nulla forma producitur ab agente. 278.

Dispositio requisita ad Eucharistiam per Concilium Tridentinum in sententia Sanctij. 269. *non requirit illam Concilium, vt sufficientem ad producendam gratiam.* 272. *quam requirit ad hanc producendam. Ibid.* & 335. *quam requirit Catechismus.* 274.

Dispositio per actualem deuotionem, reuerentiam, & amorem non est necessaria, sed sufficit per virtualem. 292.

Dispo-

Dispositio virtualis sufficiens ad effectum Eucharistiæ est duplex. 305. *sine vna saltem ex ipsis non producit gratiam.* 292.

Dispositionem maiorem requirunt doctores ad Eucharistia Sacramentū quam ad alia Sacramenta. 299. &c.

Dispositio ad Eucharistiam potest esse semper maior, & maior 331. *Niti debet homo ad maiorem habendam dispositionem.* 333.

Dispositio quam requirunt Patres congregationis Concilij ad communionem. 117.

Dispositio supra carentiam culpę mortalis saltem ex conuenientia requiritur. 139.

Dispositio ad Eucharistiam per solam carentiam culpæ mortalis non est sufficiens, vt cum effectu percipiatur. (*Vide gratiam.*

Dispositio moralis quid sit. 166.

Dispositio moralis ad formam gratię sanctificantis fit per actus morales. 268.

Doctrinarum nouitates nocent. 191.

Dominicę dici dignitas. 353.

E.

E*cclesia in rubricis Missalis non loquitur de solis Sacerdotibus, sed etiam de laicis.* 32. & 35. *Et si de solis Sacerdotibus, vt contendit Pintus, male quod ibi* di-

dicit, determinasset. 37.
Effectus Sacramenti Eucharistiae. 186. & 296. & 356.
Epistola Patrum congregationis Concilij Tridentini ad Episcopum Brixiensem circa sacram cõmunionem. 117.
Eucharistiam quotidie sumere, quare utile omnibus non est. 10. & 15.
Eucharistia non confert suum effectum sine aliqua dispositione supra statum gratiae. 151. & 307.
Eucharistiae Sacramentum sumi non debet corpore sensualitate fœdato. 17. & 21.
Eucharistia non concedebatur peccatoribus, nisi post longam pœnitentiam. 44. & 48.
Eucharistiam recipere sine debita reuerentia, etiamsi tunc aliquo modo prosit, postea non iuuat. 65. & 72.
Eucharistia debet concedi omnibus, qui sunt apte dispositi, etiamsi perfecti, et sancti non sint. 157.
Eucharistia est medium ultimum ad formam gratiae in anima producendam. 167.
Eucharistiam ius sumendi, quomodo competit homini. 173.
Eucharistiae Sacramenti receptio non est omnibus quotidie realiter necessaria, sed spiritualiter ex D. Thoma. 195.
Eucharistia publicè petenti negari non debet à ministro, nisi ex publicis peccatis. 212.
Eucharistiae Sacramentum cur plus requirat ad gratiam producendam, quam alia Sacramenta 279. et 299. Quando producit primam gratiam. 288. Sine virtua-

lisal-

li saltem deuotione, reuerentia, et amore non producit gratiam. 292. Quando producit gratiam si à principio non produxit. 286.

Eucharistia non potest producere primam gratiam sine attritione. 225.

Eucharistia cur instituta sit in materia cibi, et potus. 202. et 344. quam virtutem conferat animabus. 203.

Eucharistia non debet dari sanis feria sexta in parasceue. 250. etc.

Eucharistia dari non potest infirmis quotidie non ieiunis. 260.

Eucharistiam ferre priuato modo ad communicandos sanos in domos eorum, maximum est inconueniens. 234. ferri non potest Eucharistia sine stola, superpelliceo, & precedente lumine. 235.

Eucharistiae Sacramentum potest esse validum, & informe. 286. & 289.

Eucharistiae Sacramentum facit in homine effectus quos passio Christi in mundo. 322.

Eucharistia est in homine fons omnium gratiarum, & in virtute eius alia sacramenta dant gratiam. 300.

Eucharistiae antidotum sepius liberat à venialibus culpis sanctos, & perfectos, quam alios. 330. non debet liberare ab illis culpis, quae committunt contra antidotum dum sumitur. Ibid.

Eucharistia constituit Ecclesiam Ierusalem mediam inter Iudaicam, & Cœlestem. 332.

Existimant pluris seipsos quam Deum, qui proprium com-

commodum in rebus diuinis quaerunt. 186.
Existimationis propria desiderium quid agat? 2.
Explicantur quę in Decreto Sacrę Congregationis Concilij dicuntur circa communionem. 121. Et qua in epistola eiusdem ad Episcopum Brixiensem. 126.
Extrema in rebus maximè moralibus sunt periculosa. 263.

F.

FEria sexta in parasceue solum infirmis dari debet Eucharistia. 250. & 257. Non potest eo die circumferri, nisi de sepulchro ad altare. ibid.
Fideles in vsu sacramentorum non subiacent Deo immediatè. 208.
Fides sępè traditionibus innititur. 210.
Filij Dei quinam sunt? 340.
Forma intenta ab agenie numquam producitur, si in subiecto desunt dispositiones necessarię. 278.
Forma veluti substantialis in genere moris est gratia habitualis. 268.

G.

GRatia quę est sufficiens ad gloriam obtinendam, non sufficit ad Eucharistiam cum fructu recipiendam: 150. Non est vltima, & completa dispositio ad effectum Eucharistię. 152. & 155. & 275. Est sufficiens dispositio ad diuinas personas recipiendas, non vero ad

Eucha-

Eucharistiam cum fructu. ibid. Supra gratiam necessario requirit Eucharistia dispositionem per actus hominis, tum ad effectum primo producendum, tum ad eius augmentum 156. & 57. & 222.
Gratia est veluti forma substantialis in genere moris, ad quam omnes actus humani, vt formæ accidentales ordinantur. 268.
Gratia Dei est omnibus necessaria ad peccata vitanda. 322. Quam maxime datur per Eucharistiæ Sacramentum. 323.
Gratiam non produci in aliquibus ab Eucharistia vnde inferri potest. 296. Quando Eucharistia gratiam producit, si à principio non produxit. 286.
Gregorius Papa quid dicat de communione. 54.

I.

IEiunare die Dominico est prohibitum. 354.
Impedimenta ad communionem. 15. & 16.
Impuritas corporis sæpe redundat in animam. 27.
Inconuenientia quæ accidunt in communitatibus ex quotidiana communione. 231. &c.
Infirmi non debent quotidie non ieiuni communicare. 260.
Irreuerentia erga res sacras est dispositio ad ruinam. 237.
Isidorus quid dicat de communione. 50.
Iudicare in causis proprijs nullus rectè regulariter solet. 13.
Iuris positiui, & negatiui distinctio. 180.

Ius sumendi sacram Eucharistiam quonam modo hominibus competit. 121. & 173.
Ius diuinum, ac etiam naturale subiacet aliquo modo prælatis Ecclesiæ. 175.
Ius obedientiæ est certum, ac determinatum. 178.

L.

Leges prohibitiuæ circa rem perfectiorem faciendam non sunt. 125.
Legis positiuæ, & negatiuæ distinctio. 180.
Legis sensus deprehenditur ex vsu ab initio introductus. 220.
Lex aliquando introducitur ex vsu populorum. 206.
Libelli lingua patria de communione quotidiana iuxta sententiam Sanctij per Inquisitores Hispaniarum sunt prohibiti. 265.

M.

Mahometanorum reuerentia erga suum falsum prophetam. 548.
Matrimonium quid præstat copulae maritali? 96.
Malum consurgit ex quocumque defectu. 159.
Media ad finem consequendum quot, & quae sunt. 166.
Missa, in qua solus sacerdos communicat, est commendabilis, nec dici debet mensa priuata. 134.

Moralia in physicis fundantur, & cum illis proportionem habent. 267.

N.

N*Egligentia, quæ mala producit.* 3. *Impedit fructus Eucharistiæ.* 340. &c.

Negotiatores, & coniuges aliqui possunt esse quotidie dispositi ad sacram communionem. 122.

O.

O*Bedientia ius est certum ac determinatum.* 174.

Obedientia præferri debet sacrificijs. 182. &c. *Hæc virtutes plantat, & custodit.* 194.

Obedientiam negare prælatis in materia communionis est maximum inconueniens. 229.

Obedire debent omnes confessarijs, & prælatis circa vsum sacramentorum. 208. & 211.

Opera bona sunt magis fructuosa, si fiant dum perseuerat in subiecto Eucharistiæ Sacramentum. 319.

Opus bonum, si minus frequenter factum, magis prodest, vt ita fiat suaderi debet. 76.

Oratio est medium ad virtutes acquirendas, & an requiratur ad eam dispositio? 167.

Orationes, & cæremoniae Ecclesiae habent causare plures effectus supra virtutem orationis priuatae. 327.

P.

Paradisi Terrestris descriptio. 336. *Figura est loci quem homo debet in se praeparare ad recipiendum Christum in sacramento.* 339.

Peccata venialia inducunt in animam, suam maculam. 27.

Peccata etiam venialia expellenda sunt ab anima, ex Gregorio, ad dignam communionem. 55.

Peccata impuritatis, & crapulae reddunt hominem minus aptum ad se praeparandum pro sacra communione. 85.

Peccata venialia, quę non vitiant prębarationem ad effectum Eucharistię. 306. *quę, et quando impediunt effectum gratiae.* 309. *etc.*

Peccatum veniale committi non debet nec etiam ad totum mundum lucrandum. 309. *Qui cum illo manducat Christi corpus, est aliquo modo reus corporis ipsius.* 310.

Peccata quotidiana sunt eadem ac venialia. 323.

Peccata venialia, omnes committunt. 325. *etc. Sola Beata Virgo fuit immunis. Ibid. nec sine priuilegio possunt omnia venialia vitari.* 327.

Peccata venialia disponunt ad mortalia 238.

Peccatorum venialium mundatio requiritur ad habendam partem cum Christo in Eucharistiae Sacramento. 275.

Perfectionis in via, qui non proficit, deficit. 6.

Pie-

Pietatis via non est, quae ad veram pietatem non ducit. 193.
Pinti expositio ad verba S. Bonauenturae est inutilis. 62.
Pinti sententia de communione coniugum, eiusdemque impugnatio. 92. et 107.
Pollutio quacumque aliquo modo impedit sacram communionem. 17. et 21. et 68. et 109. et 264. non impediebat antiquo tempore; vt inquit Pintus; quia extabant de hac re decreta, quae postea fuerunt abrogata. 22 et 31. Quos effectus causat. 25. etiam si licita sit, continet turpitudinem saltem materialem. 95.
Ponderatio hominum est minus habens. 184.
Praeceptum communionis quotidianae deducitur ex sententia Pinti, & aliquorum sequacium 199. &c. descendere ait Pintus à Christo Domino. 87. Hoc praeceptum quonam modo fuit in primitiua Ecclesia. 89. & 110.
Praeceptum Apostolorum de quotidiana communione quomodo intelligit Pintus. 170.
Praeceptum Christi de communione non est de ea realiter quotidie exercenda. 177. & 199. Determinatur realis communionis exercitium ab Ecclesia per suum statutum. 196. & 209.
Preceptum Ecclesiae de annuali communione diuersimode imponitur, ac praeceptum de confessione. 219.
Preceptum Christi de suo corpore manducando, aliqui putant sufficienter impleri, si semel quis in tota vita illud manducet. 204.
Preceptum, ne sacerdotes Greci celebrent, cum vxo-

res cognoscunt, cur ipsis impositum. 108.

Prȩlati possunt ob iustam causam subditis interdicere sacram communionem. 174. &c.

Prȩlati dispensant, & dubia exponunt. 179.

Prȩparatio ad communionem, quam requirunt Patres Concilij. 129.

Prȩparatio requisita per Catechismum ad Eucharistiam recipiendam. 274.

Praeparatio ad Eucharistiam recipiendam non solum fieri debet per probationem sui à peccatis, sed per ornatum virtutum. 335.

Praeparatio ad Eucharistiam negligenter facta esset culpabilis, & inepta ad fructum eius. 301. & 303.

Praeparatio maior ad Eucharistiam requisita, quam ad alia sacramenta, vnde inferri debet. 185.

Probatio sui ipsius ad recipiendam Eucharistiam quam requirit D. Paulus quomodo debet intelligi. 135.

Propositio indefinita quando sumi debet vniuersaliter, quando particulariter. 201. & 252.

Pueri non tenentur recipere Eucharistiam, nisi cum eius deuotionem, & reuerentiā concipere valent. 217. Quare maior discursus requiritur in pueris ad communionem, quam ad confessionem. 218.

Puritas, & reuerentia debita rebus sacris. 26.

Puritas requisita à SS. Patribus ad sacram communionem. 28.

Puritas, & praeparatio requisita à Sanctio, & sequacibus ad sacram communionem. 78. & 81. Quam requirunt San-

Sancti ex conuenientia ſaltem. 79. & 89.
Puritatem maiorem cur in ſacerdotibus Eccleſia requirat. 33.
Puritatem ab omni peccato etiam veniali poteſt homo pro aliquo breui tempore habere. 153.

R.

REuerentia, & deuotio non ſtant in carentia culpæ mortalis. 69. & 71. & 237. & 241. &c.
Rubricæ Miſſalis non loquuntur ſolum de communione ſacerdotali, vt inquit Pintus; ſed etiam laicali. 32. & 35. & ſi de ſola ſacerdotali, non bene Eccleſia determinaſſet, quod in eis continetur. 37.

S.

SAcerdotes Græci, quo tempore deſeruerunt cælibatum. 106. Cur ipſis impoſitum eſt præceptum, ne celebrent cum vxores cognoſcunt. 108.
Sacerdotes cur poſſunt celebrare quotidie, & laicis negare quotidianam communionem. 316. & 319.
Sacerdotes cur tenentur ſæpe celebrare. 314. Duplici ratione tenentur ad offerendum ſacrificium Miſſæ. 315.
Sacerdotes, qui minus digne ſe habent in ſuo officio, quo nomine à Concilio Colonienſe appellantur. 236.

Sa-

Sacramentum Eucharistiæ non potest producere primam gratiam sine attritione. 225. *Quando producit primam gratiam.* 288. *Potest esse validum, & informe.* 286. & 289.

Sacramentum Eucharistiæ cur plus requirat ad producendam gratiam, quam alia sacramenta. 279. & 299. &c. *Ad eam producendam requirit per aliquos authores actualem deuotionem, & reuerentiam, sed sufficiens est virtualis.* 292. &c.

Sacramentum Eucharistię facit in homine, quod passio Christi in Mundo. 322. *Maximè confert gratiam ad prçseruandum à peccatis.* 323.

Sacramentum non prodest ex opere operato, nisi recipienti. 318.

Sanctitas, & vitę perfectio sine magno labore acquiri non potest. 4.

Sanctitas non importat solum statum gratię. 273.

Sancti commendant quotidianam communionem, sed simul dignam dispositionem. 41.

Sancti permulti non quotidie, & aliqui raro sacram Eucharistiam receperunt. 201.

Sanctij sententia de communione nullo sufficienti argumento potest probari. 55.

Sententia Pinti de communione coniugum, & eius impugnatio. 92. &c.

Sententia, *quę opponitur authoritati* SS. Patrum, *& Ecclesię est temeraria.* 247. *Ex qua scatent inconuenientia, est scandalosa. Ibid.* Ex *qua sequuntur quaedam* tur-

turpia, est piorum aurium offensiua. 249. & 265.
Scandalizantur fideles ex communione beneualentium feria sexta in parasceue. 259.
Subditi tenentur obedire superioribus in materia sacrę communionis. 177. & 181.

T.

TAmburini sententia de quotidiana communione. 214.

V.

VErba Dominicæ orationis; Panem nostrum quotidianum; quomodo debent intelligi de communione quotidiana. 111.
Virtutis species, & non virtus quid faciat. 7.
Voti & iuramenti relaxatio spectat ad superiores: quidue importat votum. 12. & 176.
Vsus populorum habet vim legis. 206. & 221.

Erra-

Errata sic Corrige.

Pagina.	*Linea.*	*Errata.*	*Corrige.*
2.	1.	decolarat	decolorat
9.	2.	nofcitur	nafcitur
10.	13.	opera	operam
	27.	fernorem	feruorem
11.	6.	fincero	fyncerò
13.	3.	in terpres	interprés
14.	8.	doftrina	doctrina
17.	9.	repntabitur	reputabitur
20.	28.	Ecctefiæ	Ecclefiæ
21.	10.	in honefto	inhonefto
22.	23.	biblioteca	bibliotheca
23.	6.	legge	lege
	27.	fumptionem	fumptione
24.	1.	fonnis	fomnis
	10.	amblexibus	amplexibus
27.	18.	munditiei	mundiriei
	17.	exibeant	Exhibeant
29.	28.	digeftis	digeftus
32.	1.	penæ	penè
45.	22.	Chatolicam	Catholicam
57.	19.	perinde	proinde
68.	24.	reijecimus	reiecimus
69.	9.	nefaiant	nefciant
72.	4.	fin enouo	fine nouo
80.	5.	dignus	dignius
109.	4.	Saerdotibus	Sacerdotibus
119.	12.	Parohos	Parochos
127.	20.	Confeffafios	Confeffarios
	Item	vi	vt
131.	27.	derminata	determinata
134.	3.	cummunicat	communicat
143.	17.	determiaationibus	determinationibus
	27.	ordinotiones	ordinationes
147.	11.	confiderate	confiderare
148.	2.	quodamodo	quodammodo
	Item	tenori	teneri

fi

165.	10.	ſi	ſi
169.	16.	accquirerẽ	acquirere
177.	15.	quiqus	quibus
200.	27.	ſactam	ſacram
201.	23.	loqutionem	loquutionem
202.	3.	loqutiones	loquutiones
204.	6.	etgo	ergo
	20.	ſaieram	ſacram
206.	10.	loquntur	loquuntur
209.	12.	epiſtula	epiſtola
211.	5.	anathematicat	anathematizat
212.	3.	diſerre	differre
216.	22.	impeſitum	impoſitum
228.	1.	nnllum	nullum
	16.	eſſectus	effectus
237.	13.	anſioſa	anxia
	20.	Saucti	Sancti
241.	13.	roceptio)	receptio ?
	26.	niſi	niſi
265.	3.	percipiendam	percipiendum
274.	25.	præparetione	præparatione
276.	5.	frequentram	frequentiam
283.	17.	ſad	ſed
294.	21.	axcitatur	excitatur
303.	12.	Ariſtotile	Ariſtotele
306.	15.	virtuals	virtualis
310.	23.	abſoluere	abſolutè
	12.	ſentantia	ſententia
312.	10.	actenus	hactenus
315.	24.	inſtitum	inſtitutum
316.	5.	ſacriſicium	ſacrificium
	21.	ſoeriſicium	ſacrificium
317.	4.	ſacriſicium	ſacrificium
327.	7.	Pelagianij	Pelagij
	13.	Quoduutdeuum	Quoduultdeum
335.	21.	dicium	iudicium
343.	4.	pfæſentiam	præſentiam
	11.	maeſtatis	maieſtatis
347.	15.	hubere	vbere
349.	13.	omibus	omnibus